This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Lc 26.47

REVTHER

DE CATONIS DE AGRI CVLTVRA LIBRI VESTIGIIS APVD GRAECOS

Lc 26.47

VE RI
TAS

HARVARD
COLLEGE
LIBRARY

/ c. 26. 47

DE CATONIS DE AGRI CVLTVRA LIBRI VESTIGIIS APVD GRAECOS

DISSERTATIO INAVGVRALIS
QVAM AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB
AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE LIPSIENSI
RITE IMPETRANDOS SCRIPSIT

PAVLVS REVTHER
AVERBACENSIS

LIPSIAE MCMIII
TYPIS F. MITZLAFFII RVDOLPHOPOLITANI

Harvard College Library.
By Exchange.
Univ. of Leipzig.
Nov. 9 1903.

Rettulerunt ad ordinis philologos de hac dissertatione MARX, WACHSMVTH
Lipsiae die XXVII mensis Octobris a. MDCCCCII
procancellario CAROLO BVECHER.

FRIDERICO MARX

Harvard College Library.
By Exchange.
Univ. of Leipzig.
Nov. 9 1903.

Rettulerunt ad ordinis philologos de hac dissertatione MARX, WACHSMVTH
Lipsiae die XXVII mensis Octobris a. MDCCCCII
procancellario CAROLO BVECHER.

FRIDERICO MARX

'Non est satis mirari curam diligentiamque priscorum, qui omnia scrutati nihil intemptatum reliquerunt.' Quae Plinii verba[1]) in nostratium quoque viros illos cadunt, qui in veteribus scriptis studiose et multum volutati grandibus libris ea, quae undique collegerant, memoriae tradiderunt, inter eos ad Saxonem illum Joannem Gottlob Schneider, qui inprimis ad rerum naturalium et artium scriptores magnam suam curam atque operam conferebat. Attamen ut ea, quae de Vitruvio recte autumaverat, perdiu a viris doctis neglecta iacuerunt[2]), ita nunc, postquam Henricus Keil suam rerum rusticarum scriptorum editionem[3]) novis commentariis instruxit, in quos e Schneideri editionis[4]) commentario pauca tantum transtulit, timor est, ne hae quoque observationes diutius quam fas est praetermittantur, etsi concedendum est, quod attinet ad Catonem, iam dudum disertis verbis pronuntiatum esse novum commentarium, qui non tam formam quam res spectare debeat, a multis desiderari[5]).

Cui muneri ipse quoque pro mea parte inservire cupiens, postquam in aliis studium consumpsi, denique quinquaginta fere locis, ubi Schneider in commentario ad geoponicorum quod vocant corpus nos reicit, commotus sum, ut similitudinibus hic indicatis accuratius operam navarem atque, cum nonnullas earum admodum speciosas ac notabiles esse intellexissem, totum geoponicorum corpus diligenter perlegerem sperans me etiam plures inventurum esse, quae Schneiderum et geoponicorum editores, qui item quoque Catonem cum Graeco auctore con-

[1]) Nat. hist. XXIII 112.

[2]) Schanz, Gesch. d. röm. Litt. II 1² (1899) 352.

[3]) M. Porci Catonis de agri cultura liber M. Terenti Varronis rerum rusticarum libri tres ex recensione Henrici Keilii. Lips. 1884—1902.

[4]) Scriptorum rei rusticae veterum Latinorum tom. IV ill. Jo. Gottlob Schneider, Saxo. Lips. 1794—1797.

[5]) Hauler, zu Catos Schrift üb. d. Landwes., Progr. d. Staatsgymn. im II. Bez., Wien 1896, p. 9, 29. — Archiv f. lat. Lexikogr. und Gramm. X (1898) 297.

sentire haud paucis locis annotaverant, fugerint. Qui labor quamquam, si numeramus locos, non eum habebat fructum, quem quis multam illorum hominum litteratorum lectionem nondum satis compertam habens exspectare potuerat, tamen quae certa inveneram, ea erant, quae quomodo explicari possint exquirere haud inutile videretur et mihi et Friderico Marx, praeceptori venerabili, qui ut scholis suis effecit, ut Catonis librum lectitare inciperem, ita in seminario philologo animadversionem et diligentiam meam comiter excitavit, ut hanc quaestionem ad finem perducere conarer.

Quare tum praecepta, de quibus res erat, per omnia id genus litterarum monumenta investigare coepi ac, quantum eorum congerere potueram, singulas formas inter se comparare hoc consilio, num quid ad illustrandas eas similitudines compareret. Quamquam si tales leges a quo initio profectae utque per longam annorum seriem traditae sint, persequi volumus duae maxime difficultates obstant: primum plerorumque eorum, qui de rebus rusticis atque his propinquis et finitimis libros conscripserunt, vix nomina novimus nedum habeamus fragmenta, tum propterea quod eos, qui idem praeceptum scriptis mandaturi sunt, simillimis quoque verbis uti consentaneum est, percauti esse debemus, ne libentius quam par est ubicunque duo duorum scriptorum loci similes conspiciuntur, de necessitudine aliqua intercedente cogitemus[1]; tametsi hoc sane tenendum erit multa differre inter locum et locum deque non vulgaribus praeceptis et paene inauditis aliter iudicandum esse ac de tralaticiis et tritis. Certe spero eos locos, quibus equidem plus quam fortuitam similitudinem adesse suspicor, eis quoque, qui haec lecturi sint, satis memorabiles quosque vix aliter atque alterum ex altero pendere statuendo explicare possimus, facile visum iri, ita ut hinc quoque aliquid ad Catonis libri memoriam melius intellegendam redundaverit.

[1]) cf. Photius bibl. cod. 168 extrem. '*καὶ οἱ ἄλλοι δὲ τῶν τὰς γεωργικὰς πραγματείας συγγραψαμένων σχεδόν τι τὰ αὐτὰ περὶ τῶν αὐτῶν ὅσα ἐμὲ εἰδέναι ἀποφαίνονται, οὐκ ἐπὶ πολλοῖς δὲ διαφωνοῦσιν*' quaeque annectit E. Oder, Mus. Rhen. 45 (1890) 62 adn.

Caput I.

De Catonis vestigiis in geoponicorum corpore.

> **Saepe fit in his studiis ut aliquid primus repperisse tibi videare inventoque quamvis pusillo gaudeas, postea autem intellegas olim fuisse qui idem viderent, sed deinde neglectum illud esse aut pravo iudicio spretum.**
>
> **M. Haupt (Herm. V 25).**

Hac mei libelli parte id assequor, ut demonstrem esse inter geoponicorum capita, quae tam arte cum Catonis quibusdam cohaereant, ut similitudines inter utramque formam intercedentes forte oblatae haberi nequeant, praesertim cum via quoque, qua ea praecepta ex altero in alterum librum pervenire potuerunt, aliquatenus saltem adhuc patere videatur. Sed quo commodius haec explicentur, sic rem instituam, ut primum loci, quos gravissimos duco, in unum congerantur ac paucis illustrentur, tum de explicandi ratione verba fiant.

Ita in initio bina Catonis et geoponicorum capita ponam, quae aliquam comparationem habere nescio an primo oculorum obtutu nobis persuadeamus: Catonis cap. 114 et 126 conferenda cum geoponicorum cap. VIII 18 et 20. Quorum cap. 18 iam Niclas in sua geoponicorum editione[1]) cum Catonis cap. 114 et 115 comparavit, item Schneider in commentario pag. 159 sq. ad Catonis cap. 114 geoponicorum VIII 18 ascripsit; quod Henricus Keil silentio praetermisit (cf. pag. 1). Cap. 126 nemo adhuc quantum vidi apud geoponicos reperiri animadvertit.

---

[1]) Geoponicorum sive de re rustica libri XX rec. et ill. ab Jo. Nicolao Niclas. Lips. 1781.

Quo melius autem locos inter se comparare possimus, Catonis verba una cum geoponicorum hoc loco in conspectu ponantur[1]).

Cat. cap. 114: Vinum si voles concinnare, ut alvum bonam faciat, secundum vindemiam, ubi vites ablaqueantur, quantum putabis ei rei satis esse vini, tot vites ablaqueato et signato. earum radices circumsecato et purgato. veratri *atri* radices contundito in pila, eas radices dato circum vitem et stercus vetus et cinerem veterem et duas partes terrae circumdato radices vitis. terram insuper inicito eqs.

geop. lib. VIII 18: *Οἴνου καθαρτικοῦ σκευασία. Ὅταν βόθρια γένηται, μέλανος ἐλλεβόρου τὰς ῥίζας κόψον, καὶ περικαθάρας τῆς ἀμπέλου τὰς ῥίζας, περίβαλε αὐτὰς τῷ κοπέντι ἐλλεβόρῳ, καὶ οὕτως φύτευσον.*

Cat. cap. 115, 2: Vinum ad alvum movendam concinnare. vites cum ablaqueabuntur, signato rubrica, ne admisceas cum cetero vino. tris fasciculos veratri atri circumponito circum radices et terram insuper inicito.

Locos inter se cohaerere nemo neget. Priusquam autem, quid adhuc ex antiquis scriptis de his praeceptis eluceat, videamus haec absolvenda est quaestio, utrum cap. 115 idem exhibeat praeceptum ac cap. 114 an novum. Cum Henricus Keil recte, ut equidem puto, in commentario suo pag. 128 'tria praecepta de vino ad alvum movendum concinnando separatim posita' archetypum secutus agnoscat, Paulus Weise in libro, cui inscripsit 'Quaestionum Catonianarum capita V' (diss. Gotting. 1886), pag. 95, 147, 167 nihil aliud hic adesse suspicatur, nisi duas eiusdem capitis formas, ita ut cap. 114 vetustiorem, cap. 115 recentiorem praebeat, quamvis ultimo loco iam de discrepantiis loquatur, quibus 'is, qui librum contaminavit, sine dubio' commotus sit, ut utramque formam reciperet.

---

[1]) Editionibus utor Keiliana Catonis anni 1884 et Beckhiana geoponicorum anni 1895 Teubnerianis.

Quae discrepantiae sane adsunt: cum enim cap. 114 de radicibus contusis sermo sit, quibus una cum cinere et stercore atque cum duabus partibus terrae vitis radices bene purgatae et circumsectae circumdentur, cap. 115 'fasciculi' veratri circum radices 'circumponendi' curantur. Quid fasciculi sint, e cap. 101 intellegitur, ubi ramuli inter se alligati ita appellantur, verbum 'circumponere' autem, quamquam cap. 93 idem fere ac cap. 114 verbum 'circumdare' significare concedendum est, tamen id quoque attendere debemus simplex 'ponere' apud Catonem et alios saepius verbi inserendi vice usurpari, ita cap. 28, 2; 45, 3; 46, 1; 47; 49, 2; 52, 2; 161, 3. Quod si reputamus, comparare possumus duos Theophrasti et Dioscoridis locos, quibus de vino ex veratro concinnando agitur: Theophr. hist. plant. IX 10, 3: . . . *φασὶ δὲ τὸν Ἐλεάτην* (sc. *ἐλλέβορον*) *ἐν τοῖς ἀμπελῶσι φύεσθαι καὶ ποιεῖν τὸν οἶνον οὕτω διουρητικὸν ὥστε λαγαροὺς εἶναι πάνυ τοὺς πίνοντας.* Diosc. I (Med. Graec. opera ed. Kuehn vol. XXV) pag. 632: . . . . . . *συμφυτευθεὶς δὲ ἀμπέλοις πρὸς τῇ ῥίζῃ τὸν ἐξ αὐτῶν οἶνον καθαρτικὸν ἐργάζεται.* Quid? quod Plinium quoque Catonis locum ita intellexisse in propatulo est cum dixit nat. hist. XIV 109 sq. 'fiunt utraque (sc. absinthites et hyssopites) et alio modo, circa radices vitium sato. sic et elleboriten fieri ex veratro nigro Cato docet'. Nam Plinium hoc dicentem ad Catonis cap. 114 allusisse vix quisquam putet.

Quae cum ita sint, rectius opinor cap. 115 ita interpretamur, ut hoc quidem loco veratrum propter vitem inserendum intellegamus. Admirationi sane est, quod Cato hic quoque signandas vites curat, quod nobis supervacaneum esse videtur, quodque terram 'insuper' inicit. Quamquam ut superioris capitis similitudine effectum esse potest, ut librarii haec committerent, ita ab ipso Catone parum accurate et dilucide haec comparata esse non nequeunt. Certe nos quidem cap. 115 iam missum facimus ac solum cap. 114 cum geoponicorum conferimus, ubi utrimque eadem praecipi liquet.

Atque nunc de hoc quoque praecepto sciscitemur. In

universum veratrum apud Graecos ab antiquissimis temporibus in magno honore fuisse ex multis locis intellegitur[1]) ac lugendum est, quod peculiares libri, quos non nullos de hac planta composuisse scimus[2]), non iam exstant. Quamquam ita quoque praecipue purgandi causa eam adhibitam esse comperimus; quia vero ab aegrotis non sine magno periculo sumebatur[3]), alia medicamenta, quae perniciosam illam vim temperarent, ei admiscere incipiebant[4]). Ita in vino quoque hanc medicinam propinare solebant et habemus adhuc duo Rufi (apud Oribas. vol. II pag. 109) et Aetii (libr. med. tom. I, ed. Ald. 1534, III cap. *κζ*) praecepta talis vini concinnandi, quae tamen valde ab eo, quod Cato et geoponica exhibent, abhorrent. Ita, nisi forte Theophrastus in hist. plant. IV 5, 1, ubi *ἐλλέβορος* inter '*τὰ φαρμακώδη ταῖς ῥίζαις*' enumeratur, ad ipsam illam rationem alludere voluerit, hoc quidem praeceptum nusquam alibi reperiri statuendum est. Quae cum ita sint, similitudo illa inter Catonis librum et geoponicorum corpus intercedens sane magis etiam insignis videtur.

Iam vero hoc praecepto tractato ad alterum me converto, quod ideo cum eo, quod modo absolvimus, me complecti posse putavi, quia in utroque libro haud magno intervallo interposito illud sequitur quodque ambo ad eundem quasi titulum pertinent eumque diversorum vinorum concinnationem, ut Catonis verbo utar. Conferenda sunt haec:

---

[1]) cf. Oribasius ed. Bussemaker et Daremberg vol. II, Paris 1854, pag. 796 sq., 800—806; Kirchner, Jahrb. f. class. Philol. suppl. VII 486, 508 sq.; Wellmann, die pneumat. Schule bis auf Archigenes (Philol. Unters. von Kiessling u. Wilamowitz vol. XIV) pag. 61 sq., 221 sqq.

[2]) Wellmann, pneum. Schule pag. 62.

[3]) Wellmann pag. 62 adn. 4. — Cato cap. 157, 12.

[4]) Wellmann pag. 225 adn. 2. — Ribbeck, de helleborismo veterum, diss. Berol. 1844, §§ 10 et 23 (illic de albo, hic de nigro elleboro verba fieri non ignoro, quamquam utramque plantam eandem fere vim habuisse constat, ita ut iam ab antiquis ob eam similitudinem confunderentur, cf. Oribas. II 797).

Cato cap. 126: Ad tormina, et si alvus non consistet, et si taeniae et lumbrici molesti erunt. XXX mala punica acerba sumito, contundito, indito in urceum et vini nigri austeri congios III. vas oblinito. post dies XXX aperito et utito . . .[1])

geop. lib. VIII 20: *Οἶνος πρὸς δυσεντερίαν καὶ ῥύσιν γαστρός. Λαβὼν ῥοιὰς ἐνωμοτέρας λ' θλάσον, εἶτα ἐμβαλὼν εἰς κεράμιον ἐπίχεε οἴνου μέλανος αὐστηροῦ χόας γ' καὶ μετὰ ἡμέρας λ' χρῶ.*

Excepto quod Cato plus habet 'si taeniae et lumbrici molesti erunt' hi quoque loci arte inter se cohaerent. Similia reperiuntur praecepta apud Hippocratem II (= Med. Graec. op. ed. Kuehn vol. XXII) 422, Dioscoridem I (= Med. Gr. op. ed. Kuehn vol. XXV) 716, Galenum (Med. Graec. op. ed. Kuehn) XII 115, 919, Oribasium I 401, Theophanem Nonnum cap. 159 Graecos et Celsum II 30, Columellam XII 42 Romanos. Quamquam hi omnes aut mel aut alia admiscent aut ex coccis praecipue vinum conficiendum curant. Ita simillimus locus est, qui apud Plinium nat. hist. XXIII 109 invenitur, neque hic plane cum Catone et geoponicorum illius capitis auctore conspirat, ita ut hoc quoque praeceptum ab illis solis traditum habeamus. — De capite, quod in geoponicorum corpore interpositum exstat inter duo illa, quae tractavimus, nihil indagare potui. Quare ad alios locos transeamus.

Rursus ad medicinam etsi pecoris pertinent capita Catonis 96 et geoponicorum XVIII 15, iam a Niclasio pag. 1191 et Schneidero in commentario pag. 152[2]) atque etiam a Keilio sub textu quem vocant et in commentario pag. 119, ubi locum descripsit, in comparationem vocata. Verba haec sunt:

Cato cap. 96: Oves ne scabrae fiant. amurcam

geop. lib. XVIII 15: *Περὶ ψώρας. Διδύμου.* 1 *Ψώρα οὐδὲ*

[1]) Weise pag. 168 hic quoque cap. 127 recentiorem formam capitis 126 esse statuit, quod quamquam neglegere possumus, tamen illum hoc quidem loco etiam magis mihi errasse videri dicam: immo de contrario cap. 127 agi putaverim.

[2]) Numerus 18 pro 15 facile typographi errore explicatur.

Bene ei quod modo absolvimus praeceptum quoddam adiungitur, quod idem quoque ad pecus quadrat quodque apud Catonem legimus paulo post illud in cap. 103. Hic quidem solus Niclas, ut postea in eius adnotationibus ad geop. lib. XVII 28 et 14 extr. pag. 1166 et 1156 vidi, a Catone aliquid simile praecipi animadvertit. Agitur de his:

Cato cap. 103: Boves uti valeant et curati bene sient, et qui fastidient cibum, uti magis cupide adpetant, pabulum quod dabis amurca spargito; primo paululum, dum consuescant, postea magis eqs.

geop. lib. XVII 28: *Περὶ κακοσίτου. Τὴν τροφὴν καταῤῥαντέον ἀμόργης τὸ ἀρκοῦν.*

Quod Cato luculentioribus et pluribus verbis, hoc geoponicorum auctor admodum breviter hic comprehendit, ita ut hoc loco vel titulus arcessendus sit, ut dilucidus sensus evadat[1]). Rursus editores Columellae quendam locum comparaverunt eumque VI 4, 4, quem postea Vegetius III (= IV ed. Schneider) 2, 11 manifesto exscribens deprehenditur. Sed apud hos in universum de salubritate amurcae, quam saepius pecori praebere e re sit, agitur, qua occasione, ne hanc potionem recusent, suadetur, ut primum quidem cibi ea adspergantur: atque in hoc tota similitudo continetur, de fastidio autem ciborum scriptor hic quidem omnino tacet, cum de hac re cap. VI 8, 2, verum alio modo, loquatur. Vbi in mulomedicina Chironis de fastidio aliquid praecipitur, amurcae omnino non mentio fit. Graecum autem scriptorem in suo capite idem atque Catonem spectare docemur duobus Platonis et Pollucis locis, qui verbum *κακόσιτος* ita explicant: Plato rep. V 475 C *τὸν περὶ τὰ σιτία δυσχερῆ οὔτε πεινῆν φαμεν οὔτ᾽*

---

[1]) Wilh. Gemoll in libro: Untersuchungen über die Quellen, den Verfasser und die Abfassungszeit der geoponica (Berl. Stud. f. class. Philol. u. Arch. I 1) Berl. 1883 p. 26 hunc titulum ante cap. 25 atque totum cap. 28 statim post cap. 25 ponendum esse censet; quamquam cur immutati tituli cum capitibus aptius conveniant, non perspicio, contra titulum capitis 28, ut nunc est, Catonis loco confirmari putem.

ἐπιθυμεῖν σιτίων, οὐδὲ φιλόσιτον, ἀλλὰ κακόσιτον εἶναι. Pollux onom. VI 41 *καὶ κακόσιτος δέ, καὶ ἀπόσιτος, ὁ ἀπεστραμμένος ἀπὸ σιτίων, ὡς ἄπιχθυς παρὰ Ἀριστοφάνει, ὁ ἰχθύων ἄγευστος.* Ita haec quoque similitudo, quam, si praeceptum, de quo res est, saepius occurreret, non magni aestimaremus, gravior videtur, quia idem nusquam alibi reperire potuimus.

Adhuc in medicorum provincia versati duos nunc addimus locos, qui ad rem rusticam magis pertinent. Ac primum tractabo, quae Cato in cap. 120 exhibet quaeque recordatus sum, cum ad geoponicorum cap. VI 16, 2 pervenissem. Proinde hos quoque locos, quos iam a Niclasio pag. 460 collatos esse modo intellexi, componere liceat nec non Columellae cap. XII 29: quod idem quoque iam Niclas atque etiam Schneider, qui in commentario ad Columellae hunc locum geoponicorum caput adscripsit, instituerunt.

Cato cap. 120: Mustum si voles totum annum habere, in amphoram mustum indito et corticem oppicato, demittito in piscinam. post dies XXX eximito. totum annum mustum erit.

Colum. lib. XII 29: Mustum ut semper dulce tanquam recens permaneat, sic facito. Antequam prelo vinacea subiciantur, de lacu quam recentissimum addito mustum in amphoram novam, eamque oblinito, et impicato diligenter, ne quidquam aquae introire possit: tunc in piscinam frigidae et dulcis aquae totam amphoram mergito, ita nequa pars extet: deinde post dies XL eximito, sic usque in annum dulce permanebit.

geop. lib. VI 16: *Γλεῦκος ἐν ὅλῳ τῷ ἐνιαυτῷ ἔχειν, καὶ γνῶναι εἰ ὕδωρ ἔχει. Τοῦ αὐτοῦ* (sc. *Φλωρεντίνου).* 1 *Πρὶν θλιβῆναι τοὺς βότρυας τὸ ἐξ αὐτῶν αὐτομάτως ἀποστάζον γλεῦκος, ὃ πρόχυμά τινες καλοῦσι, βάλε αὐθημερὸν εἰς ἀγγεῖον πεπισσωμένον ἔσωθεν καὶ ἔξωθεν, ὥστε ἡμίσεα εἶναι τὰ ἀγγεῖα, καὶ πώμασον ἐπιμελῶς γύψῳ. ἐπὶ πολὺν γὰρ χρόνον διαμένει τὸ γλεῦκος σφόδρα γλυκύ.* 2 *πολὺ δὲ μᾶλλον φυλαχθήσεται, ἐὰν τοῦ ἀγγείου πωμασθέντος δέρματι, εἰς φρέαρ τοῦτο ἐμβληθῇ ἐπὶ ἡμέρας λʹ. διὰ γὰρ τὸ μὴ ἀναζέσαι ἔσται διαπαντὸς γλεῦκος.*

Praeter hoc Columellae caput solum iuvat conferre vit. Gallien. cap. 16; cf. Oder, Mus. Rhen. 45 (1890) pag. 86 sq.

Rursus Columellae locus satis notabilis est, nam iterum cum haec geoponicorum capitis pars magis cum Catonis forma conveniat, illa Columellae verbis similiora praebet, velut quae in initio legimus, apud Catonem desunt, Columella exhibet eodem loco. Contra quod attinet ad ea, quae sequuntur quaeque Cato quoque litteris mandavit, hic geoponicorum forma in universum melius cum Catonis comparatur, quamquam Columella quoque aliquid servavit, quod a geoponicorum auctore mutatum est, idque Catonis 'piscinam', cui illic 'φρέαρ' substitutum est. Lugere possumus, quod Columella de claudendo vase non accuratius egit, nam in eo, quod Cato de cortice loquitur, geoponica autem *δέρμα* adhibent, gravissima inter utrumque locum discrepantia sita est. Addendum est Columellam quadraginta dies praescribere, cum Cato et Graecus auctor triginta diebus contenti sint.

Denique similia valent in Catonis cap. 93 et 94, quae cum geoponicorum cap. IX 10, 1 et X 48, 4 velim comparetis. Catonis locos iam Nicolaus Niclas pag. 591 et 717 significavit, Schneider et Keil capiti 94 geopon. X 48 ascripserunt. Tradita exstant haec:

Cato cap. 93: Olea si fructum non feret, ablaqueato. postea stramenta circumponito. postea amurcam cum aqua conmisceto aequas partes. deinde ad oleam circumfundito. ad arborem maxumam urnam conmixti sat est: ad minores arbores pro ratione indito. et idem hoc si facies ad arbores feraces, eae quoque meliores fient. ad eas stramenta ne

geop. lib. IX 10: *Πῶς ἔστιν ἐλαίας εὐθαλεῖς καὶ πολυκάρπους ποιῆσαι, καὶ πῶς ἔστι νοσούσας θεραπεῦσαι. Τῶν Κυντιλίων.* 1 *Εὐγενεστέρας καὶ εὐθαλεστέρας καὶ σφόδρα πολυκάρπους τὰς ἐλαίας ποιήσεις, ἐὰν μετὰ τὸ γυρῶσαι πρὸς τὰς ῥίζας ἀμόργης ἀπὸ ἐλαιῶν ἀνάλων μεμιγμένης ὕδατι ποτίμῳ ἐξ ἴσου δύο κοτύλας ἐμβάλῃς ἑκάστῳ στελέχει, ἢ ἀχύρων κυαμίνων κόφινον ἢ δύο, πρὸς ἀναλογίαν δηλονότι τοῦ δέν-*

addideris. cap. 94: Fici uti grossos teneant, facito omnia quo modo oleae eqs.

δρου ... lib. X 48, 4: κατέχει τὸν καρπὸν ἡ συκῆ, ἐὰν περισκάψας βόθρους περὶ πλειάδα, ἀμόργην ὕδατι ἐξ ἴσου κεράσας περιχέῃς τὸ στέλεχος.

Graeci capitis IX 10 paragraphus, quam exscripsi, ad eas arbores pertinet, quas Cato in extremo capite 'feraces' appellat, nam stramenta his non adduntur. Tum notandum est in geoponicis rursus amurcam 'ἀπὸ ἐλαιῶν ἀνάλων' commendari. Quod attinet ad portionem, antequam de hac discrepantia agam, caput quod illis respondens rursus apud Columellam editores detexerunt, exscribere visum est:

Colum. lib. XI 2, 29: Oleis laborantibus circum radices amurcam, quae salem non habeat, nunc conveniet infundere: maximis sex congii, mediocribus arboribus urnae satisfaciunt, caeteris aestimanda erit portio. sed tamen quae nihil vitii habuerint, aliquanto laetiores fient, si amurca rigentur insulsa.

Vt Graecum auctorem videmus Columellam praeferre 'amurcam, quae salem non habeat', cum Catone communem habet exitum paragraphi, quo sanis quoque arboribus hanc irrigationem conferre comperimus, neque cum Catonis neque cum geoponicorum capite congruunt illi 'sex congii', quos maximis arboribus infundit. Atque nunc iam de portionibus singulis locis constitutis dicendum est. Primum quidem Cato ipse sibi non constitit, cum cap. 36, quod cum cap. 93 comparandum est, 'circum capita maiora amphoras, ad minora urnas', cap. 93 autem 'ad arborem maxumam urnam' addendas esse dixit. Correcturam leviorem quam certiorem esse Keilio, quamquam Schneider simile quoddam vel in textum recepit, haud scio an concedamus[1]; Weise (l. s. s. pag. 100, 144 sq.) solum caput 93 genuinum putat.

Certe quae geoponica exhibent, etiamsi eam ibi portionem indicatam esse asciscamus, quae minoribus arboribus conveniat,

[1]) Comment. in Catonis librum pag. 116 sq.

ita ut hic quidem eae, quae 'πρὸς ἀναλογίαν' (Cato: 'pro ratione') curentur, maiores intellegendae sint, quae sententia enuntiato interposito 'ἢ ἀχύρων κναμίνων κόφινον ἢ δύο', ubi item maior portio sequitur, comprobari posset, tantum tamen a Catonis et Columellae mensuris differunt, ut mendum hic adesse facile opinemur. Facillime Graecum numerum ei, quem Columella exhibet, accommodare possumus, si pro β' κοτύλας scriptum fuisse suspicamur οβ' κοτύλας, i. e. XXXVI sextarios = VI congios; illud ο intercidere potuit, quia alterum paulo ante scribendum fuerat in verbo 'ἴσον'. Sed parum liquet, praesertim cum hoc quoque constet κοτύλην nequaquam semper eundem modum mensurae appellatum esse[1]). Item cur in Columellae capite Catonis numeri immutati exstent, ad liquidum perduci a me non potuit. Nihilominus hos quoque locos aliquam comparationem habere non negabimus.

En quas speciosissimas in geoponicorum corpore inveni similitudines. Quae restant aut parum perspicuae sunt aut ita comparatae, ut me omnibus cum Catonis quibusdam locis Graecos cohaerere persuadere posse paulum diffidam, quae inprimis valent in geoponicorum capitibus II 26, IX 5, IX 32 comparabilia quae sint cum Catonis capitibus 91 et 129, 45 et 46, 117[2]). Optimum certe puto ex eis solis, qui uberius

---

[1]) Boeckh, metrolog. Unters., Berl. 1838, pag. 19. Hultsch, griech. u. röm. Metrologie, ed. II, Berl. 1882, pag. 634 sq.

[2]) Hac occasione hoc silentio praetermittere nolo prae aliis in eis capitibus cum Catonis libro congruentia inesse, quae lemma Διδύμου prae se ferunt. E quibus tractavi cap. XVIII 8 et 15 pag. 7 sqq., valet idem in tribus capitibus modo allatis, accedit cap. XII 18 conferendum cum Catonis cap. 161 ac fortasse capita de quibus pag. 3—7 locutus sum VIII 18 et 20 ideo, quia ibi postquam nonnulla capita sine ullo nomine exscripta sunt, primum quod lemma habet (cap. 22) idem Διδύμου ostendit nomen. Nam, ut per se verisimile est, ita saepe adhuc cognoscitur id genus epitomatores si minus omnes attamen complures eiusdem auctoris locos deinceps exscribere solitos esse (cf. Wachsmuth, Stud. zu d. griech. Florilegien, Berl. 1882, pag. 117, 160). Locus denique, quem postea (pag. 44 sqq.) tractabo, XII 17 Παξάμου lemma praebet, quem scriptorem facile cum Didymo confundi potuisse elucet ex eis, quae Oder, vir de

tractati sunt, locis explicationem illarum similitudinum quaerere conari. Quorum ad hanc quaestionem absolvendam alicuius momenti sunt ea praecepta, quae apud Columellam reperimus: praeceptum de scabie (pag. 7 sqq.), praeceptum de musto conservando (pag. 11 sq.), praeceptum de amurca arboribus infundenda (pag. 12 sqq.). Quae cum tractaremus, triplicem necessitudinis modum animadvertimus.

Minime hac in quaestione ad nos attinent, quae apud solos Catonem et Columellam offendimus, veluti quod in capite de scabie non amurcam *ἄναλον* malunt, quod in exitu eiusdem capitis de effectu illius curae eadem verba faciunt, quod Columella, ubi apud Catonem optio datur, triduum praecipit (pag. 9), porro quod Catonis verbum 'piscinam' servavit (pag. 12), quod ut Cato vel sanis arboribus amurcam conferre sub finem addidit (pag. 13).

Multo gravius est, quod Columella non nulla cum geoponicis communia habet, quae apud Catonem frustra quaerimus. Ita ut Graecus auctor contra scabiem aquam salsam calidam laudat (pag. 9), in praecepto de musto conservando totum exordium Columellae in Graeco capite reperitur (pag. 12), arbores, ut geoponicorum auctor, amurca, quae salem non habeat, curat (pag. 13). Huc pertineret, quod conieci de mensurae definitione (pag. 14).

Quod si reputamus, fieri non potest, quin in Gemollii sententiam deducamur, qui non semel geoponicorum capita ex

---

geoponicis bene meritus, disseruit in Mus. Rhen. 45 (1890) pag. 212—214; cf. cap. X 84 lemma et § 6. Qui consensus mihi quidem, quamquam post alios idem Oder, Mus. Rhen. 48 (1893) pag. 31, omnia illa lemmata in suspicionem vocavit idque se accuratius retractaturum esse pollicitus est, sane admirationem habere videtur: etiamsi non veri auctoris fontes hic indicantur, certe nomina scriptorum, qui easdem res tractaverunt; cf. quae Ed. Schwartz de formula *ἡ ἱστορία παρά* in scholiis Homericis disseruit in Jahrb. f. class. Philol. suppl. XII, inprimis pag. 458 med., adde Hercher, Herm. 12 (1877) 309 sqq.; Maass, dtsch. Litteratur-Ztg. 1884, 575. Quod fortasse alicuius momenti erit ad accuratius intellegendam illorum praeceptorum memoriam.

Columellae quibusdam locis pendere suspicatus est[1]). Quod falsum esse eis docemur praeceptis, quorum in explicatione geoponica aliquid exhibent, quod Cato quidem habet, Columella non habet. Quorum affero in praecepto de scabie et Catonem et Graecum auctorem ὕδωρ aquamve, Columellam sucum excocti lupini praescribere, eodem loco in geoponicis de biduo agi, cum Columella triduum praetulerit (pag. 9), in capite de musti conservatione Columellam solum vasis claudendi obiter tantum mentionem facere atque cum Cato et Graecus scriptor de triginta diebus cogitent, eum per quadraginta vas in aqua relinquendum esse censere (pag. 12 sq.).

Ita non iam Columellam Graeci operis auctorem ducere fas est, immo ex eodem, quem Columella quoque adierit, fonte geoponicorum capita manasse iam sequitur, ut existimemus. Sin autem de homine quodam sciscitamur, qui et Catonem secutus sit quique ipse a Columella consuli potuerit, primus se offert A. Cornelius Celsus; cf. Klotzium, neue Jahrb. f. Philol. u. Paedag. suppl. X 1 (1844) pag. 60. Quid ? si meminimus ad hunc ipsum auctorem in capite de scabie diserte Columellam provocare (pag. 9), quod iam Schneideri admirationem movit, quippe cum Catonis nomen exspectaret[2]). At quod hic Columella ipse testatus est, hoc in reliquis quoque duobus locis valere eo magis opinabimur, quod Columellam Catonis librum ipsum omnino nunquam ante oculos habuisse fere constat; cf. Klotz pag. 38. Ceterum obiter fortasse non tam Columellae opus quam eius auctorem fuisse, unde in geoponicorum corpus praeceptum quoddam pervenerit, attigit Oder in Mus. Rhen. 45 (1890) p. 65 adn. spectans geop. V 17, 9 (non 3). Item illa pars (geop. lib. III), quam idem in geoponicis melius compositam esse videri quam apud Columellam in vol. 48 (1893) p. 4 adn. 1 monuit, bene ita explicari possit.

At in Celsi inventa auctoritate non acquiescemus, nam aut

---

[1]) Gemoll, Unters. pag. 122, 235—238, 242.

[2]) Comment. in Colum. librum pag. 390.

ab Anatolio aut a Didymo, duobus geoponicorum auctoribus[1], illum exscriptum esse nusquam adhuc comperimus. Contra in universum Latinos scriptores in geoponicorum corporis compositione admodum neglectos esse fuerunt, qui dicerent; cf. Raynal, annuaire de l'ass. pour l'enc. des études Grecques en France VIII (1874) pag. 104 et Oder, Mus. Rhen. 45, 94 'Auffällig bei Apuleius bleibt es immerhin, dass er der einzige nachweisbare lateinische Quellenschriftsteller war.'

Quae cum ita sint, Apulei nomen sane fieri non potest quin maximi nobis momenti esse videatur. Accedit quod idem scriptor non solum Catonis libros legisse videtur[2], verum etiam de iisdem fere rebus atque ille ipse egit, ita ut vir doctus Jahn illius quoque scripta encyclopaediae, quam nos quidem dicimus, instar fuisse putarit[3]. Certe, quod vir doctus in ambiguo relinquere malebat[4], Apuleium eorum, qui ante eum id genus libros condere susceperant, exemplum respexisse mihi quidem nequaquam veri dissimile videtur idque non solum propterea, quod, si hoc probabimus, integram seriem consequemur Cato - Celsus - Apuleius - Anatolius - geoponica[5]. Sed tota haec res vacillat atque claudicat, cum ne hoc quidem sciamus illa geoponicorum capita sintne Anatolio assignanda an Didymo, etenim ea, quam Oder in Mus. Rhen. 45, 214 adn. 3 proposuit, dinoscendi ratio ipsis illis locis nos destituit.

---

[1]) Oder, Mus. Rhen. 45 (1890) pag. 214.

[2]) cf. apolog. cap. XVII (pag. 25, 21 ed. v. d. Vliet) et de mundo cap. XIV (pag. 117, 5 ed. Goldbacher); F. Gatscha, quaest. Apul. cap. tria (Diss. Vindobon. VI) p. 143 et 153. De forma 'partiario' apud Catonem et Apuleium occurrente vide Gesnerum et Keilium ad Catonis caput 137, Hildebrandium ad Apul. met. VIII 26 p. 730: fortasse hic quoque Apuleius Catonis quandam formam se ponere credidit, i. e., cum, ut multi, adverbii vice eam ibi usurpatam esse putaret, ita in suum usum convertit.

[3]) Ber. d. sächs. Ges. d. Wiss. philol. hist. Cl. 1850, p. 282 sqq.

[4]) Ber. pag. 286 sq.

[5]) In simili serie, quam Oder in Mus. Rhen. vol. 45, 77 infim. posuit, postquam vidimus ex Celsi libro alia via non nulla in geoponicorum corpus translata esse, haud scio an nomen Plinii omitti possit; ceterum de Plinio cf. infra pag. 44.

Verum de Palladio reliquum est, ut pauca addantur, quae eadem quoque huc pertinent. Comparavimus pag. 13 sq. geoponicorum cap. IX 10 cum Columellae XI 2, 29. Idem praeceptum repetivit Palladius in cap. IV 8, neque vero hoc tantum fecit, sed annexuit quoque easdem illas leges, quae in geoponicorum capite illi subditae exstant, cum Columella ad alias res se converterit. Quid de hoc iudicabimus? Ac primum quidem Palladium ex Columella atque ex Palladio geoponicorum auctorem hausisse proclive est dictu. Sed supra cum viderimus geoponica non ad Columellam ipsum, immo ad eius auctorem redire (pag. 16), hic quoque facere non possumus, quin similem explicandi viam ingrediamur eamque, ut Palladium non ex ipso Columellae opere illud caput petivisse existimemus, sed ex libro aliquo, unde in geoponicorum quoque corpus idem illud caput pervenire potuerit. Quae sententia mihi quidem vel eo probatur, quod quae Palladius exhibet multo magis e geoponicorum forma excerpta esse videntur, quam ut hanc ex illius libro pendere facile nobis persuadeamus. Quae statim apparebunt, cum quae sibi respondent exscripserimus:

Pallad. IV 8:	geop. IX 10:
... alii paleas fabae binos per maiorem arborem qualos, alii veteris urinae humanae trunco, quantum satis videtur, adfundunt et arbori mortarium statim faciunt maxime locis siccis trunco ante cooperto. 2 oleam sterilem terebra gallica perforabis. tunc duos frugiferae arboris ab australi	... *ἢ ἀχύρων κυαμίνων κόφινον ἢ δύο, ... οὐκ ἔλαττον δὲ καὶ οὖρον ἀνθρώπειον παλαιὸν τοῦ πρέμνου καταχυθὲν ὠφελεῖ.* 2 *Δεῖ δὲ μετὰ ταῦτα εὐθέως ποιεῖσθαι τὴν τῆς γῆς περίχωσιν, περιχωννύντας ἀπὸ ῥιζῶν δηλονότι ἕως διπαλαιστιαίου ὕψους, τά τε κύκλῳ τῆς περιχώσεως φιαλοῦν, πρὸς τὴν τῶν ὀμβρίων ὑδάτων ὑποδοχήν.* 3 .. 4 *Τὰ δὲ μὴ καρποφοροῦντα δένδρα πολυφόρα ποιήσεις οὕτως· ἀπὸ τοῦ πρέμνου ἀποσχὼν ἐγγὺς πήχεως μέτρον, τρυπήσας τρυπάνῳ τὸ στέλεχος κατὰ τὸ πρὸς νότον μέρος, ὀπὴν ποιῶν μέγεθος δακτύλου μεγάλου, καὶ διατρήσας τὸ στέλεχος ὅλον, λαβὼν τῆς ἐλαίας κλῶνας δύο ἀπὸ ἑτέρου δένδρου ἀεὶ πολυκαρποῦντος*


parte ramos eiusdem magnitudinis tolles et stricte in foramen utrumque conicies vel lapidem vel pini vel querci palos et absciso eo, quod superabit, luto paleato curabis occulere. sed si sine fruge luxuriant, oleastri palum radicibus eius infige.

πλήρωσον τὰ τρυπήματα ἑκατέρωθεν, ὡς εἰς τὸ πέραν διελθεῖν ἀμφοτέρους, καὶ ἐπιλαβόμενος ἰσχυρῶς δίελκε. ὅταν δὲ σφηνωθῇ ἐξ ἀμφοτέρων ἡ ὀπὴ ἐξ ἴσου ἑλκυσθέντων, ἔκτεμε τὰς ἑκατέρωθεν ὑπεροχάς, καὶ πηλῷ τῷ δι᾿ ἀχύρων περίπλασον τὰς ὀπάς. 5 . . . 6 . . . *δεῖ δὲ λαμβάνειν τοὺς κλῶνας ἀπὸ τῶν νοτίων μερῶν τοῦ δένδρου.* 7 *τὰς δὲ ὑλομανούσας τῶν ἐλαιῶν, τουτέστι τὰς πολλὰ μὲν φύλλα φερούσας, ὀλίγιστον δὲ καρπόν, θεραπεύσεις οὕτως· πάσσαλον εἰς τὰς ῥίζας ἐμπήξας ἐλαίας ἀγρίας, ἢ πίτυος, ἢ δρυός, ἢ λίθον.*

Addam et illud etiam in geoponicis verba '*ἢ πίτυος, ἢ δρυός, ἢ λίθον*' magis suo loco exstare, quam apud Palladium, quod iam Gesneri et Schneideri in editionibus suis observaverunt; cf. etiam Niclas. ad geop. pag. 595. Aliud caput, in quo Palladius meliorem textum quam geoponica servavit, exscripsit Gemoll l. s. s. pag. 3sq.

At, dixerit quis, nonne Palladius disertis verbis 'quod Columella dicit' in initio capitis positis suum auctorem denotavit. Quod aut ita explicari potest iam Palladii et geoponicorum illi auctori enuntiatum, de quo res est, deberi aut — id quod mihi quidem probabilius videtur, quia auctorem illum postquam Celsi opus exscripsit, ultro Columellae, quod saepissime idem praebuisse vidimus, ad suum laborem adhibuisse parum verisimile est — putabimus illam ad Columellam provocationem postea demum in textum irrepsisse, cum quod nescio quis in margine annotaverat, a proximo librario, Palladii ipsius haec verba esse qui existimarit, scriptoris verbis insereretur, quod saepissime factum esse constat.

Ita quae adhuc de via, qua praecepta illa ex Catonis libro in Graecum corpus pervenire potuerunt, recte enucleasse mihi videor, hoc illustrari possunt stemmate



Hoc loco hodie nobis consistendum esse videmus; nam quot et qui medii intercedant inter Celsum et eum, qui geoponicorum capita illa in corpus congessit, obscurum relinquitur; ne hoc quidem scimus, utrum Palladii exemplum Latinum fuerit an Graecum[1]. In praesens autem 'contenti simus inventis: aliquid veritati et posteri conferant' (Sen. nat. qu. VII 25, 7).

Sed de his locis haec hactenus; restant ei, quibus apud Columellam respondens nihil inveniebatur. Proximum haud scio an hoc sit putare ut illa, ita haec quoque praecepta per Celsum in Graecum librum perlata esse. Alteram aperuit viam Ricardus Heinze, qui Varronis in geoponicis vestigia persecutus utrumque ex eodem vel similibus fontibus hausisse coniecit[2]. Fateor me ipsum antequam Columellae et Palladii locos, quos supra congessi, noveram omnes has similitudines

[1]) cf. Baumstark, Lucubrationes Syro-Graecae, Jahrb. f. class. Philol. suppl. 21, 391. 400.

[2]) Commentat. philol. quibus Ottoni Ribbeckio congratulantur discipuli Lips. 1888, pag. 439.

eadem ratione explicare voluisse, nunc quod ad geoponica attinet eam, quam modo indicavi, viam certe praefero. Catonem autem a Graecae doctrinae notitia non tam alienum fuisse, quam plerique putant, ut praeceptum de elleboro nos docuit (pag. 5), ita insequentibus capitibus fortasse uni vel alteri persuadere potero.

Caput II.

De brassicae Catonis commendatione.

Quae Cato cap. 156 et 157 de salutari brassicae vi disseruit quaeque ex illius libro Plinius nat. hist. XX 78sqq. repetivit, cum propter geoponicorum cap. XII 17 sciscitarer, quid quaque aetate scriptores de hoc medicamine sensissent, reperire mihi contigit in Oribasii operis *Ἰατρικαὶ συναγωγαί* capite quodam, quod primum, quantum adhuc vidi, Ch. F. de Matthaei inter 'medicorum XXI veterum et clarorum Graecorum varia opuscula' Mosquae 1808 pag. 36sq. typis exprimendum curavit quodque hodie quidem optime in vol. I pag. 278sq. eius Oribasii editionis legimus, quam annis 1851—1876 Bussemaker et Daremberg confecerunt.

Nihilominus hoc quoque loco, quo melius comparatio fiat, e re esse puto et Catonis et Oribasii, quae conferenda erunt, verba exscribere et componere:

Cato cap. 157, 5: et si voles eam consectam lautam siccam sale aceto sparsam esse, salubrius nihil est. 6 quo libentius edis, aceto mulso spargito: lautam siccam et rutam coriandrum sectam sale sparsam paulo libentius edes. id bene faciet et mali nihil sinet in corpore consistere et alvum bonam faciet. siquid antea mali intus erit, omnia sana faciet, et de capite et de oculis omnia deducet et sanum faciet. hanc mane esse oportet ieiunum. 7 et si bilis atra est et si lienes

Oribas. I 278: *Κράμβην χρὴ κατακόψαι ὡς ὀξυτάτῳ σιδηρίῳ, εἶτα ἀποπλῦναι καὶ τὸ ὕδωρ ἐᾶσαι ἀπηθηθῆναι, καὶ συγκατακόψαι κορίου καὶ πηγάνου ὅσα ἱκανά· εἶτα ὀξυμέλιτι ῥᾶνον, καὶ ὅσον οὖν τι μικρὸν σιλφίου ἐπίξυσον.* 2 *Ταύτης εἰ θέλοις κατεσθίειν ὅσον ὀξύβαφον, οὐδὲν μή σοι συστῇ ἐν τῷ σώματι*

turgent et si cor dolet et si iecur aut pulmones aut praecordia, uno verbo omnia sana faciet intro quae dolitabunt. eodem silpium inradito, bonum est. nam venae omnes ubi sufflatae sunt ex cibo, non possunt perspirare in toto corpore: inde aliqui morbus nascitur. ubi ex multo cibo alvus non it, pro portione brassica si uteris, id ut te moneo, nihil istorum usu veniet. verum morbum articularium nulla res tam purgat, quam brassica cruda, si edes concisam et rutam et coriandrum concisam siccam et laserpitium inrasum et brassicam ex aceto oxymeli et sale sparsam. 8 haec si uteris, omnis articulos poteris experiri.

πονηρόν· ἀλλὰ καί, εἴ τι προϋπάρχει, ἐκβάλλει, καί, εἴ τι ἀμαύρωμα περὶ τοὺς ὀφθαλμούς, παύει· καὶ πνιγμούς, καὶ ἔτι περὶ τὸ διάφραγμα καὶ τὰ ὑποχόνδρια εἴ τι προσπίπτει ἄτοπον, καὶ ὅσα σπληνί· ἐὰν ᾖ εὐμεγέθης, ταπεινώσει αὐτόν· πρός τε τοὺς μελαγχολικοὺς θαυμαστὴ ἐσθίεσθαι ὠμή· καθαίρει γὰρ τὰς φλέβας. 3 Πρὸς δὲ τὰ ἀρθριτικὰ οὐκ ἔστιν ἕτερον τοιοῦτον, οἷον ἡ κράμβη συγκειμένη οὕτω καὶ διδομένη νήστει πρωΐ.

Pergit Cato: 'nullus sumptus est, et si sumptus esset, tamen valetudinis causa experire. hanc oportet mane ieiunum esse. insomnis siquis est vel seniosus[1]), hac eadem curatione sanum facies. verum assam brassicam et unctam caldam, salis paulum dato homini ieiuno. quam plurimum ederit, tam citissime sanus fiet ex eo morbo.' Tum sequuntur:

Cato 156, 5: verum quibus tormina molesta erunt, brassicam aqua macerare oportet. ubi macerata erit, coicito in aquam calidam, coquito usque donec conmadebit

Cato 157, 9: tormina quibus molesta erunt, sic facito. brassicam macerato bene, postea in aulam coicito, defervefacito bene. ubi cocta erit bene, aquam defundito.

Oribas. § 4: Πρὸς δὲ τοὺς δυσεντερικοὺς δεῖ τῆς κράμβης λαβόντας εἰς ὕδωρ δαψιλὲς ἀποβρέχειν εὖ, εἶτα ἐμβάλλοντα εἰς θερμὸν ὕδωρ ἕψειν,

[1]) Hoc loco textum recepi editionis Keilianae minoris anni 1895, quippe qui prae codicum obscuro comprobetur Plinii §° 82.

bene, aquam defundito. postea salem addito et cumini paululum et pollinem polentae eodem addito et oleum. postea fervefacito, infundito in catinum, uti frigescat. eo interito quod volet cibi, postea edit. sed si poterit solam brassicam esse, edit. et si sine febre erit, dato vini atri duri aquatum bibat quam minimum; si febris erit, aquam. id facito cotidie mane. nolito multum dare, ne pertaedescat, uti possit porro libenter esse.

eo addito oleum bene et salis paululum et cuminum et pollinem polentae. postea ferve bene facito. ubi ferverit, in catinum indito. dato edit, si poterit, sine pane; si non, dato panem purum ibidem madefaciat. et si febrim non habebit, dato vinum atrum bibat. cito sanus fiet.

ἕως ἂν γένηται τακερά, εἶτα ἀπηθῆσαι τὸ ὕδωρ πᾶν, ἐπιβάλλειν καὶ ἔλαιον, εἶτα ἐνσυγκαταζέσαι, εἶτα ἐμβάλλοντα εἰς ἀγγεῖον ἐνθρύψαι ὅ τι ἂν βούλῃ σιτίου· ἢ μόνην ἐσθίειν τὴν κράμβην, καὶ διδόναι ψυχρόν. Τοῦτο δὲ χρὴ ποιεῖν μὴ ἅπαξ, ἀλλὰ ἑκάστην ἡμέραν πρωῒ εἰς πλείονας ἡμέρας· μὴ πολὺ δέ, ἵνα μὴ προσστῇ.

Oribasius quae praebet certe ex libro aliquo exscripsit, in quo si non multa attamen nonnulla verba anteibant, nam ita, ut apud illum exstat, caput vix quisquam inchoare poterat, nisi forte putare volumus ex thesauro aliquo sumptum esse, in quo singula medicamenta secundum litteras, a quibus incipiebant, disposita atque unius cuiusque compositio ac vis breviter descriptae erant: quae sententia cum illo exordio *Κράμβην χρὴ κτλ.* fortasse conveniret. Ceteroquin apud Catonem quoque in paragrapho quinta inter verba 'et puero et puellae si ulcus erit huiusce modi, farinam hordeaceam addito' et 'et si voles eam consectam lautam siccam sale aceto sparsam esse' eqs. hiat sententia atque satis abrupte ad sequentia transitus fit. Sed ad singula nos convertamus.

In initio ut Graecus homo addidit '*ὡς ὀξυτάτῳ σιδηρίῳ*' et paulo post '*ὅσα ἱκανά*' atque eo quoque accuratior est,

quod pro Catonis 'siccam' dixit 'καὶ τὸ ὕδωρ ἐᾶσαι ἀπηθηθῆναι', quales discrepantias non morabimur, ita Cato uberior est in explicanda medicinae compositione quaeque affert sal et acetum apud Oribasium non invenimus, cum, quod ipse hic praetermisit, silpium paulo infra addat § 7 'eodem silpium inradito (ἐπίξυσον apud Graecum), bonum est'. Atque etiam extrema hac paragrapho, ubi de morbis articulariis verba fiunt et ubi in capite Graeco (§ 3) nihil legimus nisi 'ἡ κράμβη συγκειμένη οὕτω', i. e. ut supra descripsimus, Cato omnia, quae cum brassica commiscenda sint, iterum enumerat, attendenda sunt laserpitium, i. e. silpium, et 'oxymeli sparsam' respondens Graeco 'ὀξυμέλιτι ῥᾶνον', qua occasione hoc quoque animadverti potest Catonem nunc verbum externum nunc Latinum usurpare: acetum mulsum (§ 6) et oxymeli, laserpitium et silpium. In universum certe Graeca forma melius esse videtur composita.

Porro in § 6 Catonis libri desideramus, quam Graecus exhibet, mensurae definitionem: κατεσθίειν ὅσον ὀξύβαφον. Quod apud eum plus exstat 'et alvum bonam faciet', hoc in horum verborum conexu, ubi primum de morbis modo nascentibus, tum de eis, qui iam inveteraverunt, sermo est, admodum inepte interpositum se praebet ac per interpolationem se in textum irrepsisse quasi clamat: etiamsi difficilius mihi quidem videtur statuere interpolatorem hominem aliquem posterioris aetatis fuisse, ut inter viros doctos inprimis Weise tales locos explicare solet, quam Catonem ipsum, praesertim cum coctioni eum prae aliis rebus consuluisse ex libro de agri cultura satis pateat (cf. cap. 114; 115; 125; 127; 156, 1; 157, 6. 7). Tum Catonis forma copiosior est verbis 'de capite'; cum enuntiato 'hanc mane esse oportet ieiunum' comparare possumus Graeci 'νήστει πρωΐ' § 3 extr., ita ut hoc additamentum apud utrumque ad totum locum referendum esse verisimile sit.

Deinde (§ 7 Cat. = 2 Orib.) 'πνιγμοὺς' cum 'pulmones' componere possumus, 'διάφραγμα' respondet verbo 'praecordia';

ut brevis sim, si media paragrapho (nam venae omnes eqs.) tantum illud, quod Graecus scriptor verbo 'ὑποχόνδρια' adumbravit, a Censorio, qua erat huius rei indulgentia (vide supra p. 25), latius tractatum esse sumimus, praeter Catonis cor et iecur facile omnia apud Graecum reperiuntur; notandum autem est, ubicunque Oribasii auctor pluribus verbis utatur, haec artius cum textu cohaerere, quam ea, quibus Cato solam brassicae salubritatem laudibus effert atque lectori inculcat obtundens.

De eis, quae sequuntur, iam supra (pag. 25) verba feci; hoc unum ultro commemoratum velim, quam accurate hoc loco utriusque verba congruant: *'Πρὸς δὲ τὰ ἀρθριτικὰ οὐκ ἔστιν ἕτερον τοιοῦτον, οἷον ἡ κράμβη'* et 'Verum morbum articularium nulla res tam purgat, quam brassica'. Quibus quae Cato sententiae instar annectit, in Graeco capite desunt, item quae praescribit insomnibus vel seniosis.

Ita iam ad paragraphum Catonis nonam pervenimus, quae duabus formis nobis tradita est, cum idem praeceptum iam cap. 156, 5 inveniatur. Utramque comparantes cum verbis Graecis magna cum admiratione intellegimus hic quidem Oribasii formam propius ad capitis 156 accedere quam ad formam capitis 157. Nam omnia, quibus illa ab hac differt, dilucide reperiuntur in capite Graeco: veluti ibi non de pane, qui cum brassica dari possit, ut in cap. 157, legimus, sed, ut in cap. 156, in universum de cibo sermo est, itemque, quod in cap. 157 omnino deest, Graecus auctor conspirans cum Catonis forma capitis 156 suadet, ut saepius hoc medicamentum propinetur neque tamen plus, quam sine taedio edi possit. Quid? quod etiam exordium capitis 156 ei, quod apud Oribasium exstat, similius comparatum est, quam quod cap. 157 in initio prae se fert; cf. supra pag. 23. Proinde hanc Graeci capitis partem potius cum forma capitis 156 comparemus.

Ac primum quidem notandum est in initio Catonem plane cum Graeci capitis auctore conspirantem cocturam brassicae seorsum commemorare a macerando *(ἀποβρέχειν)*; deinde

cum hic solum oleum addat, sale, cumino, polenta Cato eum superat. Inde a verbis 'eodem addito et oleum' rursus Latina forma arte cum Graeca cohaeret, nam enuntiato 'uti frigescat' paulo post respondet Graecum '*καὶ διδόναι ψυχρόν*', quod hic fortasse magis suo loco stat, quam apud Censorium; additamentum 'postea edit' ut supervacaneum relinquamus. Sed gravius est, quod Oribasii auctor nihil de vino dixit, qui aegroto dari possit, dumne febrim habeat.

Quibus demonstratis nemo iam dubitet, quin Catonis liber et ille, quem Oribasius secutus est, aliquo modo cohaereant. Priusquam autem hanc similitudinem explicare conemur, pauca de Plinio dicenda sunt, qui in nat. hist. lib. XX 80 sqq. eam Catonis libri partem, qua de agitur, exscripsit atque nonnumquam ab illius forma recedit. Ita quod attinet ad paragraphos, quas adhuc tractavimus, haec apud Plinium offendimus, quae in Catonis capite frustra quaeras: '(oculorum) caligini scintillationique, stomacho (nisi forte hoc verbum mediam Catonis § 7 spectat) . . . menta . . . acetabulis duobus . . . tantamque esse vim, ut qui terat haec, validiorem fieri se sentiat (§ 80)'. Quod hordei farina alio loco atque a Catone admiscetur (§ 81), huius causa perturbationis fortasse erat indiligentia eius, qui caput descripsit. Porro animadvertendum est sub finem in praecepto de torminibus non, ut in Catonis libro, separatim dici de macerando: tum verbo 'pane' pro 'cibo' posito edocemur capitis 157 formam Plinium ante oculos habuisse. Reliquarum paragraphorum differentias addere ab hoc loco alienum est. Quibus omnibus Henricus Keil commotus est, ut in commentario in Catonis librum composito pag. 174 extr. et 179 neglegenter Plinium Catonis sententiam rettulisse cumque iis, quae ex illius libro petivisset, alia, quae in illo non legisset, coniunxisse pronuntiaret.

Sed fortasse iam aliquis, cum enumerarem, quae Plinius prae Catonis forma, quam nos habemus, plura exhibet, admiratus est, quod nonnulla eorum, quae apud Plinium adiecta exstant, Oribasii quoque caput continet, sin minus, nunc eum

Columellae quibusdam locis pendere suspicatus est[1]). Quod falsum esse eis docemur praeceptis, quorum in explicatione geoponica aliquid exhibent, quod Cato quidem habet, Columella non habet. Quorum affero in praecepto de scabie et Catonem et Graecum auctorem ὕδωρ aquamve, Columellam sucum excocti lupini praescribere, eodem loco in geoponicis de biduo agi, cum Columella triduum praetulerit (pag. 9), in capite de musti conservatione Columellam solum vasis claudendi obiter tantum mentionem facere atque cum Cato et Graecus scriptor de triginta diebus cogitent, eum per quadraginta vas in aqua relinquendum esse censere (pag. 12 sq.).

Ita non iam Columellam Graeci operis auctorem ducere fas est, immo ex eodem, quem Columella quoque adierit, fonte geoponicorum capita manasse iam sequitur, ut existimemus. Sin autem de homine quodam sciscitamur, qui et Catonem secutus sit quique ipse a Columella consuli potuerit, primus se offert A. Cornelius Celsus; cf. Klotzium, neue Jahrb. f. Philol. u. Paedag. suppl. X 1 (1844) pag. 60. Quid ? si meminimus ad hunc ipsum auctorem in capite de scabie diserte Columellam provocare (pag. 9), quod iam Schneideri admirationem movit, quippe cum Catonis nomen exspectaret[2]). At quod hic Columella ipse testatus est, hoc in reliquis quoque duobus locis valere eo magis opinabimur, quod Columellam Catonis librum ipsum omnino nunquam ante oculos habuisse fere constat; cf. Klotz pag. 38. Ceterum obiter fortasse non tam Columellae opus quam eius auctorem fuisse, unde in geoponicorum corpus praeceptum quoddam pervenerit, attigit Oder in Mus. Rhen. 45 (1890) p. 65 adn. spectans geop. V 17, 9 (non 3). Item illa pars (geop. lib. III), quam idem in geoponicis melius compositam esse videri quam apud Columellam in vol. 48 (1893) p. 4 adn. 1 monuit, bene ita explicari possit.

At in Celsi inventa auctoritate non acquiescemus, nam aut

---

[1]) Gemoll, Unters. pag. 122, 235—238, 242.

[2]) Comment. in Colum. librum pag. 89

ab Anatolio aut a Didymo, duobus geoponicorum auctoribus[1]), illum exscriptum esse nusquam adhuc comperimus. Contra in universum Latinos scriptores in geoponicorum corporis compositione admodum neglectos esse fuerunt, qui dicerent; cf. Raynal, annuaire de l'ass. pour l'enc. des études Grecques en France VIII (1874) pag. 104 et Oder, Mus. Rhen. 45, 94 'Auffällig bei Apuleius bleibt es immerhin, dass er der einzige nachweisbare lateinische Quellenschriftsteller war.'

Quae cum ita sint, Apulei nomen sane fieri non potest quin maximi nobis momenti esse videatur. Accedit quod idem scriptor non solum Catonis libros legisse videtur[2]), verum etiam de iisdem fere rebus atque ille ipse egit, ita ut vir doctus Jahn illius quoque scripta encyclopaediae, quam nos quidem dicimus, instar fuisse putarit[3]). Certe, quod vir doctus in ambiguo relinquere malebat[4]), Apuleium eorum, qui ante eum id genus libros condere susceperant, exemplum respexisse mihi quidem nequaquam veri dissimile videtur idque non solum propterea, quod, si hoc probabimus, integram seriem consequemur Cato - Celsus - Apuleius - Anatolius - geoponica[5]). Sed tota haec res vacillat atque claudicat, cum ne hoc quidem sciamus illa geoponicorum capita sintne Anatolio assignanda an Didymo, etenim ea, quam Oder in Mus. Rhen. 45, 214 adn. 3 proposuit, dinoscendi ratio ipsis illis locis nos destituit.

---

[1]) Oder, Mus. Rhen. 45 (1890) pag. 214.

[2]) cf. apolog. cap. XVII (pag. 25, 21 ed. v. d. Vliet) et de mundo cap. XIV (pag. 117, 5 ed. Goldbacher); F. Gatscha, quaest. Apul. cap. tria (Diss. Vindobon. VI) p. 143 et 153. De forma 'partiario' apud Catonem et Apuleium occurrente vide Gesnerum et Keilium ad Catonis caput 137, Hildebrandium ad Apul. met. VIII 26 p. 730: fortasse hic quoque Apuleius Catonis quandam formam se ponere credidit, i. e., cum, ut multi, adverbii vice eam ibi usurpatam esse putaret, ita in suum usum convertit.

[3]) Ber. d. sächs. Ges. d. Wiss. philol. hist. Cl. 1850, p. 282 sqq.

[4]) Ber. pag. 286 sq.

[5]) In simili serie, quam Oder in Mus. Rhen. vol. 45, 77 infim. posuit, postquam vidimus ex Celsi libro alia via non nulla in geoponicorum corpus translata esse, haud scio an nomen Plinii omitti possit; ceterum de Plinio cf. infra pag. 44.

aliquo componendo occupatum esse cumque etiam sententiis in hac parte sermonem exornet, id genus additamenta quo longius progreditur, eo occurrunt rariora; post sententiam capitis 39, 2 'cogitato, si nihil fiet, nihilo minus sumptum futurum' demum cap. 61 simile quoddam offendimus 'Quid est eqs.' atque tum usque ad cap. 157, 8, quod accuratius compositum esse iam vidimus atque etiam infra videbimus (pag. 43), nihil eius modi invenitur. Quae cum ita sint, haec illius libri pars non tam iusti libri, quam commentarii prae se fert speciem, in quem per annorum seriem prout aliquid habebat et temporis spatium patiebatur assiduam ac diligentem scripturam in aliud tempus differens[1]) interim congerere solebat[2]). In tali scribendi ratione facile fieri potuisse, ut idem praeceptum bis conderet, nemo iam neget. Fortasse de eo quoque cogitare licet nonnumquam, cum forte satis temporis haberet, Catonem aliquod caput ita retractandum sibi proposuisse, ut aliquando in libro confecto et absoluto exstare ei placebat; quod si accipiamus, haud scio an bene explicetur, quod plerumque posterior eiusdem praecepti forma politior esse videtur, velut in capitibus 28 et 61, 48 et 151, 51/2 et 133, 91 et 129[3]). Aliis locis Cato prioris formae omnino non iam meminisse videtur. Ita profecto, quamvis Weise (pag. 6) incerta Nitzschii argumenta premens aliter censeat, librum paulatim conscriptum esse mihi persuasi. Neque cum Dietzio[4]) quod ad hanc usque aetatem pervenit id esse puto, quod Cato senex praecepta illa in ordinem quendam redigens confecit, sed ipsum illum commentarium, in quem quae noscenda sibi visa erant,

---

[1]) cf. Holtze, synt. prisc. script. Lat. vol. I, Lips. 1861, pag. 28: ut multa celeriter sibi adnotaret tantum quae postea secundum grammaticae praecepta severiora vellet emendare.

[2]) cf. Leo, plautin. Forschungen, Berl. 1895, 35: Im ersten Teil dauert einige Ordnung, allmählich wird es eine wilde Sammelei. Hauler l. s. s. pag. 4 sq.

[3]) cf. Weise l. s. s. pag. 101, 102, 97, 139, 102, 143. Reitzenstein, Wochenschr. f. class. Philol. V (1888) 589 adn. 4, 590.

[4]) L. Dietze, de sermone Catoniano, diss. Lips. Tanglimi 1870, pag. 5.

congesserat quique, ut Holtzii verbis utar, ultimam quasi manum emendatricem iam non expertus est.

Itaque, ut hunc librum perficeret, ei omnino non contigisse putandum est? Secundum ea, quae supra (pag. 30) commemoravimus, exspectare possumus in libro perfecto non solum ea capita, quae ex Weisii libello adscripsi quaeque iam in commentario retractata exstant, sed omnia Catonem politius fuisse conditurum. Observantur vero vestigia talis politioris libri de agri cultura formae in eis Plinii operis partibus, ubi per Celsum Catoniana praecepta habet cognita[1]). Celsum autem pro suo consilio conficiendae encyclopaediae, quam nos quidem vocamus, ad eos potissimum Catonis libros, quos, sive fuerunt uno nomine comprehensi sive non fuerunt, cum tali opere comparare sane licet[2]), se applicasse mihi quidem consentaneum videtur: ita reicimur ad libros illos, quos Catonem ad filium scripsisse scimus. Ex quibus si consideramus unum quoque fuisse, in quo agriculturae praecepta traderet, haud ita alienum duco a ratione statuere quae nos quidem habemus nihil aliud esse nisi quae prima ille illius libri ad filium exaraverat lineamenta. Ceteroquin librum ad filium a Celso exscriptum esse iam Muenzer suspicatus est[3]), qui eo rem perturbavit, quia non semel librum ad filium ab eo, qui aetatem tulit, longe diversum fuisse pronuntiavit[4]), cum quibus hic ab illo differre potuit in sola forma ac praecipue in ornamentis orationis versari ipse sentire videatur[5]).

Nec vero aliter puto de eis Catonis scriptis iudicandum esse, quae ad medicinam spectant; disertis verbis Plinius nat. hist. XXIX 15 commentarium Catonis se habere dicit, quem 'per genera usus sui' digerere adhuc necesse sit; quod mihi

---

[1]) Reitzenstein. l. s. s. 591—593.

[2]) cf. Jahn, Ber. d. saechs. Ges. d. Wiss., philol.-hist. Cl., 1850, 273 sq., 281.

[3]) Münzer, Beitr. pag. 61, 65.

[4]) Münzer, Beitr. pag. 57, 61, 65.

[5]) Münzer, Beitr. pag. 56.

quidem legenti statim libri de agri cultura in mentem venit, in quo hoc munus, sc. libri per genera usus sui digerendi, viri docti omnibus viribus Catoni ipsi assignare student[1]. Digessit, sane, sed tum, cum hunc quoque commentarium libris ad filium scriptis inseruit. Plinii autem aetate libri illi ad filium, quippe cum superati essent recentiore Celsi opere, non iam in manibus fuisse videntur. Hanc existimo unicam probabilem esse explicationem farraginis, ut ita dicam, inordinatorum illorum atque incompositorum capitum. Iam cum ad brassicam redibimus, spero fore apertum optime rem expediri, si Hauleri de Catonis libro sententia accepta quae aliis perturbatio videbatur ordinis alicuius, qui quondam aderat, eam non posteriorum temporum homini imputamus, at Catoni ipsi[2].

Constitimus pag. 28 in ea quaestione, quid sit iudicandum de duplici forma praecepti de torminibus et cui Plinius debeat, quae plura quaeque aliter habet, atque nos hodie apud Catonem legimus. Quarum quaestionum prior expedita mihi videtur eis, quae modo de Catonis libro disserui: accedit quod iam Weise his capitibus haesitavit, utrum Catoni abrogaret (cf. supra 28). Deinde quod pertinet ad additamenta, primum possumus suspicari ut aliis locis, ita hic quoque Plinium omnino non Catonem ipsum, sed alium quendam scriptorem, qui illius librum exscripserat, Sasernam[3] vel Celsum vel quemvis alium[4] secutum esse[5] atque huic deberi, quae Oribasius

---

[1]) Weise, l. s. s. pars V pag. 160 sqq.

[2]) cf. G. Ihm, philol. Anz. XVII (1887) 585 sq., Leo pag. 35, Hauler pag. 6.

[3]) Münzer, Beitr. pag. 15, 33.

[4]) Münzer, Beitr. pag. 70.

[5]) Qua in suspicione mirifice eo confirmamur, quod caput 156 Plinius omnino non novisse videtur: iam I. H. van Bolhuis, diatribe literaria in M. Porc. Catonis Cens. quae supers. scr. et fragm., Traiect. ad Rh. 1826, pag. 184 observavit in § 84 Plinii inter ea, quae Cato 'praetermiserit', hoc de brassica afferri 'vino adversari ut inimicam vitibus, antecedente in cibis caveri ebrietatem, postea sumpta crapulam discuti', quod aliis tantum verbis apud Catonem legitur cap. 156, 1. Quod paulo post ineunte § 85

et Plinius soli praebent, verba. Illud sane veri simile est[1]), hoc si probamus, novis implicamur difficultatibus. Etenim aut statuendum est illum, qui Graecum caput confecit, et ad Plinii auctorem et ad Catonem ipsum se convertisse: quod parum credibile esse iam intelleximus pag. 28, aut communem illum et Graeci scriptoris et Plinii auctorem necesse erit contendere et ex cap. 156 et ex cap. 157 praeceptum illud de molestis torminibus in suum opus transtulisse: quod nemini opinor persuadeamus. Quare iam unica patet via putare Catoni ipsi ea, quae Plinii opus alia praebet ac liber, qui in manibus est, vindicanda esse, Graecum vero, ut Plinii auctorem, meliorem illum textum Catonis descripsisse eumque hausisse, quod nunc quidem dicere licet, ex libro, quem Plinii quoque auctorem Celsum adhibuisse vidimus (pag. 31), ad filium.

Verum duplex rursus oritur difficultas: primum id, quod supra in tali libro, qualem confecit Plinii auctor et Oribasii, incredibile esse diximus (pag. 33), nunc de Catone ipso pronuntiandum est, dico in librum ad filium et capitis 156 et capitis 157 praecepti de torminibus formam ab eo esse receptam, tum iam supra pag. 25 sq. dictum est Graecum caput tota compositione et genere dicendi prae Catonis sermone excellere: in Graeco capite omnia, quae de brassica dicenda sunt, bono ordine disposita proferuntur, primum quomodo desecetur et lavetur, tum quae ei admiscenda sint, deinde quantum bibere expediat, porro qui morbi ea sanentur, primum cruda, tum cocta, denique quamdiu haec curatio duret; apud Catonem idem ordo sane adest, sed nunc breviter agit, ita ut Latina arte cum Graeca consentiat forma (pag. 26), quin etiam Graeci capitis partem singulis tantum verbis adumbret, velut

de oculorum claritate loquitur, quae eadem quoque apud Catonem (§ 6) atque etiam apud Plinium (§ 80) iam leviter est tacta, hoc loco ideo res aliter se habet, quia quod hic visum est Plinio gravissimum, certe id est, quod postero demum enuntiato additur 'sucum vero eqs'.

[1]) Reitzenstein l. s. s. 591.

in initio, nunc admodum multus est in explicandis suis praeceptis, nunc sententiam inserit (pag. 23), nunc universe de salutari huius medicamenti vi verba facit, porro bis alvi inepta commemoratione conexum interrumpit (pag. 25, 26), § 7 denuo quae admisceantur enumerat (pag. 25), ita ut hic quidem difficile sit noscere, quomodo quaeque cohaereant. Quibus consideratis nonne multo videbitur esse probabilius Catonem pendere ex Graeco, quam alium scriptorem ea, quae apud illum invenerat, ita conformasse? Praeterea absurdum videtur atque alienum ab omni ratione putare Graecorum quendam, apud quos medicina iam diu florebat, ita ut per Graecos medicos ea ars Romam transmigrasse dicatur[1]), praesertim talem, qualem Oribasius, cum eius scripta excerpsit, inter *τοὺς ἀρίστους ἰατροὺς* et *τοὺς ἄμεινον εἰπόντας* habendum esse testatus est (cf. I pag. 2), talem virum dico tale praeceptum ex Latini scriptoris libro petivisse.

Et re vera iam Henricus Keil haec quidem praecepta Catonem alii debere suspicatus est[2]). Quem Graecum natione fuisse pluribus comprobari potest argumentis. Ac primum quidem scimus antiquitus Graecos non solum novisse brassicam[3]), verum etiam peculiares libros de hac planta condidisse; nam quod Plinius nat. hist. XIX 136 brassicam 'apud Graecos in honore fuisse' non se reperire profert[4]), hoc ipse irritum reddit eo, quod XX 78 Chrysippum, Dieuchem, Pythagoram nominat, qui privatim, ut dicit, volumina brassicae dicaverint, atque etiam § 84 sqq. haud paucos addit medicos Graecos,

---

[1]) Haeser, Gesch. d. Med. I, Jena 1875, 261 sq. — Pagel, Gesch. d. Med. I, Berl. 1898, 94 sq. — Albert, Les médecins Grecs à Rome, Paris 1894, chap. II pag. 35 sqq.

[2]) Comm. in Cat. libr. pag. 169: is cuius praecepta in hac parte Cato rettulit, pag. 173: is quem Cato in hac parte auctorem secutus erat.

[3]) Locos, quibus primum commemoratur, congessit O. Kirchner, Jahrb. f. klass. Philol. suppl. VII pag. 497.

[4]) cf. Stadler, die Quellen des Plin. im 19. Buche der nat. hist., diss. 1891, pag. 81.

qui per brassicam curationem valetudinis praescripserint, eosque Erasistratum, Hippocratem, Apollodorum, Philistionem, Epicharmum, qui omnes, ni fallor, ante Catonis aetatem floruerunt. Accedunt Diocles, Theophrastus, Apollonius et illi, qui post Catonis tempora id genus praecepta scriptis mandarunt quosque vix praetermittendos esse putem, quoniam priores exscribere eis scriptoribus usitatissimum fuisse adhuc cognoscitur. Sed quo commodius hac de re agatur, sic instituam, ut ubi quodque Catonis praeceptum reperiatur, breviter nunc notem.

Tripertito ut apud Catonem in cap. 157 brassicae genera iam dividuntur apud Graecos antiquissimos (Plin. XX 79. XIX 80[1]), apud Theophrastum (hist. plant. VII 4, 4[1])), Eudemum, Nicandrum (Athen. IX 369 e. 370 a), Dioscoridem (I 262/4), Galenum (vide indicem, med. Graec. op. ed. Kuehn vol. XX, s. v. brassica)[2]).

Tum quod apud Catonem etiam atque etiam repetitur, dico concoctionibus brassicam conferre, notum est Graecis (Plin. XX 84. 85) his: Hippocrati (I 687. II 423. III 593), Dieuchi (apud Oribas. II 261), Diocli (ap. Oribas. II 259 = Wellmann, med. Graec. fragm. I, Berl. 1901, 140), Chrysippo (Gargil. pag. 167 Rose) atque post Catonis aetatem Dioscoridi (I 262), Rufo (apud Oribas. II 120), Galeno (VI 354. 631. 770. XI 575. XII 496. XIV 226. XV 338. XVII 1, 403), Oribasio (I 76. 240 sq. [ex Galeno?]. V 176. VI 28/9), geop. (XII 17, 2).

Torminibus ut Cato et Oribasii auctor solus Hippocrates brassicam adhibens medetur (Plin. XX 86), item, quod sequitur cap. 156, 7, urinam quoque hac medicina cieri apud tres tantum repperi Dioscoridem (I 262), Rufum Ephesium (pag. 541

---

[1]) De raphano = brassica cf. Aristot. *Ζιε* 19. 551 a 15. Apollod. Caryst. apud Athenaeum I 34 d. Galen. VI 633. Pollux I 247. VI 54. Eustath. ad Od. I 197. 1623, 42 ed. Rom.

[2]) 'A quibus memoriae prodita brassicae singula genera ut re fortasse non differant, ita partim differunt nomine' (O. Schneider, Nicandrea, Lips. 1856, pag. 116).

Daremberg-Ruelle), Aretaeum (med. Graec. op. ed. Kuehn vol. XXIV 202), qui post Catonem fuerunt.

Iam restat in cap. 156, 1 praeceptum illud, quo Cato crapulam arcendam curat; ante cenam sive potionem brassicam sumere probant Graeci (Plin. XX 84) Timaeus, Alexis, Eubulus (apud Athen. I 34 c d), geopon. (V 11, 3. VII 31, 1. XII 17, 21), Theoph. Nonnus (cap. 14); adde schol. ad Aristoph. Equit. 536 et etymol. magn. s. v. *κράμβη*, qui loci citantur in ed. Oribas. I 570. Post convivium crapulam et capitis dolores brassica discutiunt Graeci (Plin. XX 84) Anaxandrides, Nicochares, Amphis (apud Athen. I 34 d e), Dioscorides (I 262), Galen. (XII 516. XIV 318), Alexander Trall. (I 10 extr. Puschmann pag. 480), Theophanes Nonnus (cap. 14), Simeon Seth (pag. 51 Langkavel). Quibus addendi sunt qui hanc brassicae vim explicare conantur Aristot. *πγ* 17. 873 a 37, Androcydes (apud Theophrastum hist. plant. IV 16, 6), Rufus Ephes. (pag. 541 Daremberg-Ruelle).

Porro ut a Catone brassica sanantur vulnera (apud Galen. XII 42, geop. XII 17, 4), tumores (geop. XII 17, 4), ulcera (apud Philistionem, cf. Plin. XX 88; Dioscorid. I 262, Galen. XII 42), luxatum (apud Epicharmum, cf. Plin. XX 89), oculi (apud Graecos, cf. Plin. XX 85. 88; Theophr. hist. plant. VII 6, 2; Chrysipp., cf. Gargil. pag. 167; Dioscor. I 262), lienes (apud Galen. XIV 517, geop. XII 17, 15), podagra morbique articularii (apud Graecos, cf. Plin. XX 88; Philistionem, cf. Plin. XX 87; Dioscor. I 262, geop. XII 17, 5), insomnia et aurium morbi (geop. XII 17, 15. 12), depetigo (apud Graecos, cf. Plin. XX 88. 94. geop. XII 17, 10).

Quibus congestis iam videmus brassicam sane etiam apud Graecos in honore fuisse atque etiamsi nonnulla, velut mirabilia illa praecepta paragraphorum 157, 10 et 11, nusquam reperimus, alia apud scriptores tantum Catonis aetate posteriores, tamen ipsa ea, quae cum Oribasii auctore communia habet, iam antiqui Graeci sciverunt. Certe, ut ego quidem opinor, fieri non potuisse, ut Graecos Cato de iis rebus, quas his capitibus nobis-

cum communicat, consuleret, non iam dicemus. Quid? quod alibi disertis verbis se Athenis medicorum Graecorum scriptis operam dedisse pronuntiavit: servatum a Plinio locum habemus ni fallimur e libro de medicina depromptum 'Dicam de istis Graecis suo loco, M. fili, quid Athenis exquisitum habeam et quor[1]) bonum sit illorum litteras inspicere, non perdiscere'[2]). Potuerunt iam tum haec Catoni de brassica praecepta innotescere. Quaeritur vero, num hoc ipsum caput, quod Oribasius servavit, iam Catoni potuerit esse ad manus.

Atque nunc tempus est animum advertere ad auctoris illius personam, cuius ex opere Oribasius se caput, quod adhuc tractavimus, sumpsisse profitetur in titulo, qui est *Περὶ κράμβης, ἐκ τῶν Μνησιθέου τοῦ Κυζικηνοῦ.* Quod lemma nihil habet dubitationis. Tamen hanc quaestionem consulto hucusque distuli, quia certe hic admodum in lubrico versamur ac parum habemus, ubi consistere liceat. Quod me non ignorare expresse hoc loco pronuntiatum volo. Attamen quae rescisci possunt de illo viro nequaquam ea duco, quae prorsus silentio praetermittantur.

Ac primum quidem videmus nonnumquam Galenum et Athenaeum et Oribasium mentionem facere Mnesithei cuiusdam Atheniensis atque ex compluribus Athenaei locis (II 54b, 57b, III 80c. e, 92b, 96d, 106d, 121d, VIII 357a) apparet eum libro quodam, cui inscripserat *περὶ ἐδεστῶν,* quae cuique cibo alendi facultates insint, exposuisse; huc pertinent sine dubio loci Athen. VIII 355a et Orib. I 177. Accedit *περὶ κωθωνισμοῦ ἐπιστολή,* quae commemoratur apud Athen. XI 483f. Porro Atheniensi attribuuntur loci Galen. XI 3, XIV 683, Athen. I 22e, 32d, Oribas. III 153. Sed cum constet, quid ille suis libris tractaverit, eorum quoque locorum, qui solum Mnesitheum nomen prae se ferunt, nonnullos ei assignare licet ideo, quia aperte easdem res attingunt, dico unum Varronis apud Gellium XIII 31,

---

[1]) M. Catonis praeter librum de re rustica quae extant ed. Henr. Jordan, Lips. 1860, pag. 77 adn. ad v. 2.

[2]) Plin. nat. hist. XXIX 14; cf. § 27.

14 propter simillimum Athen. I 32d, porro Galen. VI 457, 510 sq., 645, Athen. II 36a sq. (propter I 22e), II 59b, III 115f, fortasse etiam X 419c (cf. Knaack, Herm. vol. 18 [1883] p. 148).

Sed Cyziceno Mnesitheo praeter illud, de quo egimus, unicum attribuitur longum caput de nutricibus apud Oribas. III 129 sqq. Quare eorum fragmentorum, quae sub Mnesithei nomine traduntur neque modo Atheniensi vindicata sunt, quicquam huic scriptori addicendum esse pro certo affirmare nemo potest: unum locum Oribas. II 182 Cyziceno aliquis attribuere possit, quia Cato quoque cap. 157, 12 de periculo, quod elleborum hominibus inferat, loquitur[1]). Ac ne de tempore quidem, quo Cyzicenus vixit, ex duobus illis capitibus quicquam concludere licet, cum Atheniensis neque post Alexim comicum et ante Phylotimum medicum degisse videatur[2]).

In tanta praesidiorum inopia ne ex titulis quidem multa redundant, nam nomen Mnesithei usurpatum exstat inde ab exitu saeculi quinti a. Chr. n. (cf. C. I. A. I 32. C. I. G. 76) usque ad exitum alterius p. Chr. n. (cf. C. I. A. III 1171). Verum elucet ex titulis patres, quibus Mnesithei nomen erat, persaepe aliquem filium item Mnesitheum appellasse, velut C. I. A. II 316; 445, e. g.; 446, 53; 1013; 1449; C. I. G. add. 3846 z[29]. Quorum omnium nobis quidem gravissimum esse putem titulum C. I. A. II 1449, ubi in medicum quendam Mnesitheum *Μνησιθέου* incidisse videmur[3]), cuius filium item hoc nomen habuisse et in titulo C. I. A. II 1020 intellegendum

---

[1]) Tum vacui restant auctoris nomine loci Plin. nat. hist. XXI 1[?] (cf. indices librorum XXI—XXVII); Plut. aet. phys. 26; Pausan. I, 37, 4 Galen. II 569; XI 163; 449 = Ruf. Ephes. pag. 166; XV 136; Oribas. I 250 sq.; III 23 sqq.

[2]) G. Knaack, Herm. vol. 18 (1883) pag. 148. C. Fredrich, hippokrat Unters. (Philol. Unters. von Kiessling und Wilamowitz XV) pag. 175.

[3]) De hoc titulo conferre e re est Bull. de corr. hell. I (1877) 16[?] Mitt. d. d. arch. Inst. in Athen. II (1877) 243 et tab. XVIII. Archaeol. Ztg XXXV (1877) 153 sq. Bull. d. corr. hell. II (1878) 88. P. Girard, l'Asclépieio[n] d'Athènes, Paris 1881, 43 et tab. II. Mitt. d. d. arch. Inst. in Athen I[X] (1884) 80.

esse coniecit H. G. Lolling[1]). Hoc amplius Mnesithei cuiusdam filium ἰήτην offendimus C. I. A. II 778 B 2, ita ut in illa gente iam morem fuisse putare possimus, ut artem medicam a parentibus maioribusque traditam omnes posteri exciperent ideoque etiam nomen Mnesithei retinerent, quod utrumque haud raro fieri solebat.

Nunc si reputamus vix potuisse Catonem notitiam habere hominis alicuius, qui Cyzici omne tempus aetatis degit, cum Atheniensem Mnesitheum iam noverimus et Athenis inprimis Mnesitheos floruisse ex titulis intellegatur[2]), necessitudinem quandam inter Athenienses et Cyzicenum intercessisse occurrit suspicio. Accedit aliud, quo haec sententia probari videatur: utrumque animadvertimus Mnesitheum artiore aliquo vinculo coniunctum fuisse cum Hippocrate. Iam supra observatum est (pag. 35) ut Catonis auctorem, ita Hippocratem de brassica locutum esse atque etiamsi concedendum est in libris Hippocratis, qui aetatem tulerunt, nonnulla, quae Plinius Hippocrati attribuit, non iam inveniri[3]), tamen hoc loco moneam, si Plinio vel eius auctori in libro XX 86 fides haberi possit, dysentericos unicum Hippocratem ut Mnesitheum et Catonem bis cocta brassica sanasse (pag. 35)[4]). Vltro cum comperimus Hippocratem ipsum Cyzici quoque aliquantum temporis medicinam exercuisse[5]), nonne obvium videtur suspicari tum Mnesitheum illum, qui a Cyzico urbe cognomen accepit, Hippocratis auditorem et discipulum fuisse? Sed etiam Mnesitheus

---

[1]) Mitt. d. d. arch. Inst. in Athen V (1880) 352.

[2]) Adde Kirchner, Herm. 28 (1893) 142 sq.

[3]) Dierbach, d. Arzneimittel des Hippocrates, Heidelb. 1824, pag. 35 adn.

[4]) Alterum consequimur argumentum, si apud Catonem cap. 157, 13 'carnem asinam' pro 'assam', quod exhibent codices, vera lectio est, asinorum enim carnem iam ab Hippocrate ad alvum leniendam commendatam esse (I 679) iam pridem monuerunt editores; cf. Albert, les méd. Grecs, p. 18 adn. 2. Quod si nobis probetur, hanc quoque paragraphum ex Graeco fonte manasse putandum sit.

[5]) Fabricius bibl. Gr. lib. II cap. XXIII pag. 511 = Kuehn, med. Graec. XXI pag. XI; cf. XXIII pag. 508.

Atheniensis secundum ea, quae apud Galen. XI 3 legimus, nonnumquam Hippocratis auctoritatem ita secutus est, ut disertis verbis hoc a scriptoribus afferatur; cf. Fredrich in libro s. s. pag. 174 sq. Ad eundem suspicor pertinere locum Galen. XV 136, ubi Mnesitheus quidam ad illius de venis doctrinam se applicasse fertur. Atque addere hic fortasse licet apud Oribas. I 178, quod caput, quia antecedens *ἐκ τῶν Μνησιθέου τοῦ Ἀθηναίου* sumptum est, eidem auctori deberi credideris (cf. pag. 14 adn. 2), scriptorem ad ea provocare, quae *οἱ τὴν Ἀσίαν πεπλανημένοι* comprobaverint: quod bene quadraret in Hippocratem vel unum ex eius discipulis (Kuehn XXI pag. XI).

Quae cum ita sint, iam optio nobis datur. Statuamus oportet aut Cyzicenum et Atheniensem re vera unum eundemque hominem fuisse[1]), quae sententia ut eo probari potest, quod plerisque locis Mnesithei nomen sine quoquam adiectivo affertur, ita eo, quod non numquam accidit, ut idem vir duobus eius modi cognominibus significaretur, velut, quae exempla modo mihi praesto sunt, Apollodorus Carystius sive Atheniensis comicus et Apollonius Alexandrinus sive Naucratites sive Rhodius[2]), aut propinqua cognatione alterum Mnesitheum cum altero coniunctum fuisse existimemus. Hoc fortasse melius consentiat cum temporis ratione: Atheniensem apud Fredrich comperimus ante Phylotimum scripsisse, i. e. ante exitum saeculi quarti[3]), ultro Knaack aequalem illum fuisse Alexidis comici verisimile reddere studuit (pag. 38 adn. 2). Quibuscum parum conveniat, quod pag. 39 suspicatus sum, Cyzicenum

---

[1]) Ita videtur putavisse A. Grosspietsch, qui in dissertatione de *τετραπλῶν* vocabulorum genere quodam (Bresl. philol. Abhandl. VII 5) pag. 14 Mnesithei verbum *ἐνσυγκαταζέω* commemorat et pag. 45 primae suae aetati, qua complectitur tempus usque ad annum 300 a. Chr. n., attribuit; cf. pag. 66.

[2]) cf. Christ, Gesch. d. griech. Litt. ed. III, 1898, pag. 317 adn. 1, 532 adn. 3 et Kaibel apud Pauly-Wissowa, Real-Encycl. I 2852.

[3]) Pauly, Real-Encycl. V 1534 s. v. Philotimus.

Mnesitheum discipulum fuisse Hippocratis, quippe qui floruerit iam initio belli Peloponnesiaci: sed expedita erit difficultas, si Cyzicenum patrem fuisse ponemus Atheniensis. Qua sententia probata Cyzicenus Mnesitheus is erit, qui in monumento supra commemorato (pag. 38) patris loco nominatur, nam titulus ille priori quarti saeculi parti attribuitur[1]: et Mnesitheum Atheniensem eum esse, qui inter dedicantium numerum affertur, i. e. filium illius, iam Vdalricus Koehler statuit[2]) post Girardum, qui utrum spectaverit in sua de hac re disputatione[3]), parum clare cognoscitur. Quod si probamus, pater ille Cyzicenus maiore filii claritate paulatim ita obscuratus est, ut ex hominum memoria paene evanesceret.

Sed satis diu coniecturis operam dedimus. Forsitan ex multis medicorum libris, qui adhuc inediti iacent in diversis bibliothecis[4]), aliquando plura comparebunt, quibus hae res illustrari possint, etsi tenendum erit, nisi Catonis auctor paululum iam illis temporibus latuisset, iam veteres tales similitudines observaturos fuisse, tum praecipue quinti et quarti saeculi medicorum libris fati iniquitatem non pepercisse[5]).

Quoniam actum est de auctoris persona, sequitur, ut pauca exponam de sermone, quem caput Graecum exhibeat. Ac primum quidem e re erit videre, quantum ex hac disquisitione certi omnino possit redundare. Verbum *διάφραγμα,* quod legimus in § 2, eo sensu, qui hoc loco manifeste ei inest, apud Graecos nusquam ante Galenum invenimus, cum omnibus priorum temporum locis qui exstant nihil aliud significet in corpore humano nisi nasi quandam partem. Inde vero nequa-

---

1) Mitt. d. d. arch. Inst. in Athen II (1877) 243.

2) Mitt. d. d. arch. Inst. in Athen IX (1884) 81 adn. 1.

3) Bull. de corr. hell. II (1878) 89.

4) cf. A. G. Costomiris, revue des étud. gr. II (1889) 343 sq.: j'ai été vraiment frappé d'étonnement en présence de la multitude de ces écrits médicaux encore inédits; .... la littérature médicale de l'antiquité est fort délaissée.

5) cf. H. Diels, Herm. vol. 28 (1893) 416.

quam concludere licere Galeni demum aetate hoc sensu illud verbum coepisse usurpari edocemur a scriptore Latino eoque Celso, qui in prooemio libri de medicina (pag. 7, 33 Daremb.) 'transversum septum, quod membrana quadam superiores partes ab inferioribus diducit' *διάφραγμα* a Graecis iam tunc vocatum esse testis est. Itaque percauti simus oportebit, ne libentius ex sermone aliquid conemur demonstrare, praesertim cum de artis vocabulis medicorum agatur, quorum libros, praecipue illorum temporum, magna ex parte evanuisse supra commemoravi (pag. 41). Nihilominus nostrum est etiam de sermone illius capitis paucis disserere.

Verbum, quod alibi nusquam reperitur, in § 4 exstat *ἐνσυγκαταζέσαι*[1]). Aliud verbum *συγκατακόψαι* in § 1 quamquam adhibet Plutarchus (vit. Sull. 32 = moral. pag. 816a), tamen ibi non de herbis, sed de homine sermo est, qui una cum aliis trucidatur. Simile valet in verbo *ἀμαύρωμα* § 2, quod idem Plutarchus praebet, ubi de solis defectione loquitur, quae fiebat post Caesaris mortem (vit. Caes. 69). Videmus autem medicum ut ita dicam horum verborum sensum apud solum Mnesitheum esse servatum. Aliter res se habet in duobus verbis, quae nos quidem primum apud Nicandrum, grammaticum illum et poetam et medicum Colophonium (cf. Suidam), primum offendimus, dico *ὀξύβαφον* (§ 2), quod ab eo incipit esse mensurae definitio (ther. 598), et verbum *ἐνθρύπτω*, quod ille non solum primus exhibet, sed etiam ita iam adamavit, ut octiens in theriacis et alexipharmacis inveniatur (cf. ind. ed. Schneid. pag. 322). Item verba *ἀποπλύνειν* (§ 1) et *ἀπηθεῖν* (§ 1, 4), quamvis rarius a scriptoribus antiquioribus adhibeantur, apud Nicandrum occurrunt. Quibus consideratis id unum fortasse licebit suspicari haec vocabula peculiaria fuisse sermoni medicorum Asiae minoris.

Apparuit adhuc non solum nihil impedire, quominus iam hoc caput a Catone describi potuisse putemus, verum etiam

---

[1]) Grosspietsch, de *τετραπλῶν* vocabulorum genere quodam, pag. 14, 66.

esse, cur superioribus temporibus attribuatur. Denique hoc non male cum ea, quam equidem de Catonis libri originibus protuli, sententia convenit: vidimus unum praeceptum in Catonis libro et in capite 156 et in capite 157 exstare idque ita conformatum, ut capitis 156 forma magis cum Graeca congruat quam capitis 157 (pag. 26); itaque puto primum Catonem e Graeco exemplo solum praeceptum de torminibus exscribere voluisse, tum utile duxisse plus in suum usum convertere: ideo rursus ab initio incipientem totum caput eum vel maximam partem exscripsisse idque ita fecisse, ut tunc quidem — nescio an eam iam formam spectantem, qualem aliquando librum perfectum prae se ferre cupiebat, aut id ipsum agentem, ut Graecum exemplum paulum occuleret atque celaret — non iam fere verbum de verbo expressum efferret (cf. in paragrapho de torminibus *ἐνθρύψαι ὅ τι ἂν βούλῃ σιτίου* — cap. 156, 6 eo interito quod volet cibi: sed cap. 157, 9 dato edit ... dato panem purum ibidem madefaciat, pag. 24) atque etiam, quod ipse expertus erat, hic vel illic insereret (cf. pag. 25 sq.). Ita bene explicatur, quod ineunte demum capite 157 de generibus brassicae agitur, id quod nonnullos editores commovit, ut hoc initium transferrent vel etiam spurium ducerent: alienum enim fuisse Catonem hoc quidem in libro ab omni Graecae eruditionis ostentatione' (cf. adnotationes Gesneri et Schneideri ad hunc locum).

Contra nos quidem iam putabimus certe Catonem hoc loco Graecam doctrinam nobis praebere eamque ipsam illam Mnesithei. Itaque quae apud Plinium cum Graeco capite congruunt, cum in Catonis libro non inveniantur (pag. 27), tamen Catoni ascribenda sunt, neque tamen soli libro ad filium (pag. 33), sed iam commentario illi de agri cultura, ita ut his locis appareat exemplar istud, quod ad nostram usque aetatem pervenit, non iam ubique genuinam Catonis formam prae se ferre.

Quoniam huic quaestioni pro viribus satisfactum est, hic locus est, ut de geoponicorum capite XII 17 pauca addantur, quippe quo commotus sim, ut de brassicae laudatoribus sciscitari inciperem. Ac primum quidem duo praecepta non repperi nisi apud Catonem, cuius doctrinam Plinius repetivit, et in geoponicorum hoc loco: ubi § 15 (ut apud Catonem cap. 157, 8 et Plin. XX 82) contra insomnia brassica commendatur et § 12 (ut apud Catonem cap. 157, 16 et Plin. XX 83) auribus quoque hanc plantam prodesse comperimus. Accedit praeceptum de tumoribus, quod exhibent Cato cap. 157, 3, Plin. XX 82, geopon. XII 17, 4. Gemoll in libro s. s. pag. 181 sq. illum, qui hoc caput confecit, et Plinii et aliud opus ad manus habuisse coniecit. Pro Plinii nomine nos quidem, cum Plinium non tam Catonem quam alium quendam auctorem, i. e. Celsum secutum esse coniecerimus (pag. 32), quem aliis locis geoponicis Catonis praecepta suppeditasse demonstravimus (pag. 16), hic quoque Celsi nomen substituere malumus, praesertim cum ea, quae in geop. § 15 de lienibus dicuntur quaeque Cato quoque § 7 praebet, a Plinio non servata sint. Ita hae quoque similitudines eadem ratione explicandae esse videntur atque in capite primo factum est[1]).

[1]) Verum etiam Galeni his in praeceptis tractandis ratio habenda est, qui ut vulnera solus praeter Catonem et geoponicorum scriptorem enumeravit inter ea, quibus brassica conferat, ita lienum quoque solus praeter illos hac occasione mentionem fecit (vide supra pag. 36); cum Galeni conspirant nonnumquam Dioscoridis de brassica praecepta. Accedit quod geoponicorum capitis § 7 et Galeno et Dioscoridi attribuitur apud Petrum de Crescentiis (rural. commod. lib. VI, cap. de caulibus extr., cf. vero Keil, ind. schol. Hal. aestiv. 1885 pag. III) et apud medicum Arabia ortum Joannem Serapionem (de simplicibus ex plantis cap. 32 ed. Lugdun. 1525).

Caput III.

Quid in universum de Graecorum vestigiis in libro de agri cultura iudicandum sit.

Consuevimus, quotienscumque quae ratio Catoni cum Graecis fuerit quaeritur, nihil aliud cogitare nisi de notissimis illis inimicitiis, quibus usum omnes illum Graecos mores ac doctrinam procul a suis civibus abesse voluisse nonnullis antiquorum scriptorum locis comperimus. Quamquam interea non neglegere debemus Catonem ipsum nequaquam alienum fuisse ab omni Graeca eruditione. Non ignoramus, dixerit quis, in senectute eum litteris Graecis operam dedisse a Cicerone et aliis tradi[1]). Neque tamen hoc verum est neque quod nuperrime de hac re proposuit vir Italus Catonem, cum origines conficeret, in litteras Graecas incumbere coepisse[2]), iam expers mihi videtur omnis dubitationis. 'Diligenter quae de Catone Graecae doctrinae studioso aut tradita sint aut possint constitui coniectura' H. Jordan collegit in quaestion. Caton. cap. II, 1856, pag. 66 sqq. idemque pag. 68, ut ante eum iam Batavus ille J. H. van Bolhuis l. s. pag. 7 sq., recte mea sententia praedicavit Catonem iam multo prius Graecorum doctrina fuisse imbutum. Constitui autem ea, quae inprimis ad nostram faciunt disputationem, breviter retractare atque au-

[1]) Loci collecti exstant in Bolhuisii libro pag. 7.

[2]) Carlo Ricci, Catone nell' opposizione alla cultura greca e ai grecheggianti, Palermo 1895 (pag. 40). cf. Berl. philol. Wochenschr. 1896, 532 sqq. Praesto mihi non fuit Sternbach, Cato d. Aeltere u. dessen Verh. zu d. Griechen, Anz. d. Ak. d. Wissensch. in Krakau vom 9. Dez. 1895.

gere eis, quae post illorum virorum operam et studia innotuerunt quaeque ipse congerere potui.

Iam Plutarchus in vita Catonis capp. 2, 8, 24 animadvertit nonnumquam Graecorum virorum sententiis scripta et sermones Catonem ornasse: etiam Cicero de off. I 104, ubi *ἀποφθέγματα* commemorat, quae ille collegisset, certe hac occasione de Graecis quoque cogitavit. Quam opinionem frustra impugnavit vir de Catonis reliquiis bene meritus H. Jordan. In Muenzeri porro libro pag. 59 et pag. 67 duo proverbia afferuntur, quae a Graecis videtur Cato esse mutuatus. Denique huc pertinet illud responsum, quod Augustin. de doct. christ. II 20 servavit quodque Graecum esse agnovit Ricardus Heinze apud Bremer, iurispr. antehadrian. quae supers. I, 1896, 17. Quantopere vero hac ipsa re Romani e Graecis pependerint, monuit O. Crusius, Wochenschr. f. cl. Philol. 1891, 429.

Sed ad singula scripta ipsa transeamus. Origines eius notum est idcirco prae aliis eius modi operibus nominari, quia hic primum historiarum scriptor Latinus suscepit Latino quoque sermone uti. Nihilominus in hos quoque libros res e Graecorum litteris petitas irrepsisse nunc exploratum est, cf. Bergk, philol. 30 (1871) p. 680 s. n. 15; A. de Gutschmid, Kl. Schr. V 520, 522; C. Ricci l. s. s.; E. Pais, storia di Roma, I, 1898, p. 50 sq.

Deinde libros illos, quos in filii usum condidit, R. Hirzel in libro de dialogo I, 1895, p. 427 sq. ad exemplum Graecorum *λόγων προτρεπτικῶν* compositos esse suspicatur. E quibus fragmentum libri de medicina, in quo Cato ipse Athenis se Graecorum medicorum libros inspexisse confitetur, iam pag. 37 tractavi.

Iam reicimur ad librum de agri cultura, in quo iam non alienum videbitur a Catonis consuetudine tractata esse nonnulla, quae Graecis debeantur. Vt modo Hirzeli sententiam secuti diximus toto corpore librorum ad filium fortasse Graecorum quendam usum Catonem esse imitatum, ita libri de agri cultura meminimus, cum legimus apud Varron. rer. rust. lib. I 2, 13. 28 iam qui Graece de agricultura scripserint

latius vagatos esse quam oportuerit. Cato igitur hac quoque in re e Graeco exemplo potuit pendere. Sed gravius est, quod iam E. Meyer, Gesch. d. Botanik I, Koenigsb. 1854, 341 sqq., Dietze pag. 13, Weise pag. 56 observaverunt, haud pauca vocabula in Catonis libro occurrere, quae aperte ex Graeco sermone desumpta sunt. Sane tenendum est multa ex his iam dudum Romanis nota fuisse vel Plauti vel aliorum scriptis, quae aetatem non tulerunt, vel etiam sermone cotidiano. Tamen magis inusitata quae sunt, ea dico quae apud Plautum nondum legimus, hoc loco colligere haud inutile puto: abacus, ama, amulum, amurca, anesum, asparagus, austerus, caminus, carcinoma, cotula, cuminum, cummis, cupressus, cydonea, depso, dyspepsia, emplastrum, encytus, epidromus, epistates, erneum, eugeneus, fortax, gypsum, iris, isciacus, melanthium, menta, ocinum, orchis, origanites, oxymeli, platanus, raphanus, scammonium, scorpio, serpullum, silphium, spaerita, spartum, spira, spongia, stranguria, taenia, trapetum, trochlea, trutina, turunda (?[1]).

Quorum numerus maior esse videtur, quam ut putare possimus haec omnia iam ante Catonis librum a Romanis usurpata esse. Immo huc pertinere existimem, quod Horatius in arte poetica v. 56 sqq. dixit, ut Ennii ita Catonis linguam patrium sermonem ditasse et rerum nova nomina protulisse: quod accuratius comprobaretur Cloatii Veri libris verborum a Graecis tractorum[2]), si servati exstarent. Contra minoris momenti sit, quod adiectivum 'Graecus' non semel Cato alicui verbo addit, velut commemorat Graecas nuces in cap. 8, 2[3]), Graecum vinum in cap. 24 et 105, 1, Graecum faenum in cap. 27 et 37, 1, Graecanicas trochileas in cap. 3, 5. Accedunt Cydonea mala, Coum vinum, Cypria et Delphica laurus,

[1]) De hoc vocabulo cf. Piechotta, Arch. f. lat. Lexikogr. u. Gram. I (1884) 586 sq., reliqua exhibet O. Weise, die griech. Wörter im Latein, Leipz. 1882.

[2]) Gellius n. a. XVI 12.

[3]) cf. Plin. nat. hist. XV 90.

Megarici bulbi. Ex ponderibus Graecis iam P. Weise pag. 168 argumentum petivit, ut cap. 127 Catoni abrogaret.

Haec de verbis: nunc ad res ipsas sermonem transferemus. Nuperrime quid agricolis Graecis debuerint Romani E. Hauler exposuit[1]), qui statuit et minima et tardissime hos ab illis didicisse, quod sua sibi praecepta a maioribus tradita essent. Quod ad agri culturae praecepta fortasse quadrat atque ita de Catonis scriptis iam iudicavit Crusius in Mus. Rhen. vol. 47 (1892) pag. 66. Totum vero Catonis de agri cultura librum animo perlustrantes non nulla hic a simplici et modica agricolatione, qualem antiquorum Romanorum fuisse putabimus, admodum recedere brevi opinor nobis persuadebimus. Velut quae de diversorum vinorum concinnatione et inde a cap. 74 de pistorum artibus apud eum legimus, parum nobis in Censorii personam convenire videntur. Porro cum deliberamus hanc ipsam artem apud Graecos iam dudum ita floruisse, ut iam Callimachus eius modi libros in suo *παντοδαπῶν συγγραμμάτων* catalogo habuerit[2]), et post annum demum 168 in Italiam translatam esse[3]), hic quoque Catonem Graecorum vestigiis ingredientem arbitrabimur deprehendi neque sibimet ipsum talia excogitasse nedum a maioribus accepisse, praesertim cum operis pistorii vocabula magna ex parte Graeca sint, veluti amulum, depso, encytus, erneum, placenta, spaerita, spira.

Transeo ad ea, quae de arboribus propagandis et inserendis in Catonis libro praecipiuntur. Hic iam E. Meyer, Gesch. d. Bot. I 381 et V. Hehn, Kulturpfl. u. Haust., ed. 6, 1894, 422 admirati sunt, quod tam artificiosis rebus ille delectatus sit, ac praecipue unam propagandi rationem, quae tractetur cap. 52 et 133[4]), eum in deliciis habuisse Meyer

---

[1]) Festschr. f. Th. Gomperz, Wien 1902, pag. 389.

[2]) Athen. XIV 643 e.

[3]) Mau apud Pauly-Wissowa, Real-Encyclop. II 2735.

[4]) cap. 52 . . . in arboribus, uti radices capiant, calicem pertundito: per fundum *pertusum* aut qualum ramum, quem radicem capere voles, traicito: eum qualum aut calicem terra inpleto calcatoque bene, in ar-

annotavit; quam ab ipso Catone videri esse inventam, nam apud Graecos eam non reperiri. Qua in re mihi quidem vir doctus videtur errasse, nam duobus Theophrasti locis idem praeceptum adesse puto, primum hist. plant. II 5, 3 extr.: *ὅσα δὲ ἐνδέχεται τῶν φυτῶν καὶ προμοσχεύειν· τὰ μὲν ἐπ' αὐτῶν τῶν δένδρων οἷον ἐλάας ἀπίου μηλέας συκῆς· τὰ δ' ἀφαιροῦντας οἷον ἀμπέλου· ταύτην γὰρ οὐχ οἷόν τε ἐπ' αὐτῆς μοσχεύειν,* tum de caus. plant. III 5, 1: *διὰ τοῦτο γὰρ καὶ ἐπὶ τῶν δένδρων ἔνιοι μοσχεύουσιν* . . . Hoc tantum Cato et Theophrastus inter se differunt, quod ille in vitibus quoque hoc praeceptum valere contendit, quod Graecus scriptor expresse negat. Sin autem recte locos interpretati sumus, hinc quoque memorabile argumentum lucramur. In universum in ipsis his praeceptis ad propagandas et inserendas arbores pertinentibus ea, quae Cato et Theophrastus exponunt, vel pluribus conspirant. Vltro hic afferendus est locus Plin. nat. hist. XVII 119 'hoc genus (sc. inserendi, quod Cato describit cap. 42) non pridem repertum volunt qui novis moribus favent, sed iam et apud veteres Graecos invenitur et apud Catonem eqs.'

Denique unum restat dignum, quod hac occasione diligenter attendatur. Saepius in Catonis de agri cultura libro admirationem habet radices arborum capita appellari, velut in cap. 33, 1. 3. 4; 36, alibi. Radices autem intellegendas esse his locis ut per se patet, ita quod attinet ad cap. 36 locis Columellae (XI 2, 29) et Plinii (XVII 263), qui hoc praeceptum servarunt et verbo 'capita' 'radices' substituerunt, comprobatur[1]. Item in cap. 46, 2 adiectivo 'summam' potius imam taleae partem significari propter simillimum[2]) geoponi-

bore relinquito. ubi bimum erit (cf. 133), ramum sub qualo praecidito. qualum incidito ex ima parte perpetuum, sive calix erit, conquassato. cum eo qualo aut calice in scrobe ponito. eodem modo vitem facito . . .

[1]) Fortasse iam utriusque auctor Celsus rectum verbum substituit: nam in praecepto capitis 33, 1, quod Plinius solus exhibet (XVII 195) et fortasse ipse ex Catonis libro hausit, apud Plinium vocabulum 'capita' adhuc mansit.

[2]) cf. pag. 14.

corum locum IX 5, 7 [1]) iam J. G. Schneider in commentario suo pag. 118 ad hunc locum ascripsit. Cohaerere autem videtur memorabilis hic Catonis loquendi usus cum opinione quadam Aristotelis, cuius illustrandae gratia duo ex eius scriptis afferantur loci: *περὶ μακροβ.* 467 b 2 *τὸ γὰρ ἄνω τοῦ φυτοῦ καὶ κεφαλὴ ἡ ῥίζα ἐστί. περὶ πορείας ζ.* 705 b 6 *αἱ γὰρ ῥίζαι εἰσὶ τὸ ἄνω τοῖς φυτοῖς.* Complures loci huc pertinentes collecti exstant in Theophr. op. ed. Schneider vol. V, Lips. 1821, 250 sq., apud Wimmer, phytolog. Aristotel. fragm., Vratisl. 1838, §§ 59—65, Kirchner, die bot. Schr. d. Theophr., Jahrb. f. class. Philol. suppl. VII (1873—1875) 519 sq. Ita hic quoque proclive est dictu Catonem, cum librum de agri cultura scriptis mandaret, haud ita alienum fuisse a Graecorum doctrina.

Accedunt duo illi loci, cap. 115, 2 et cap. 156, 5. 6 et 157, de quibus uberius iam supra in cap. I et II actum est. Denique commemorari potest locus, qui item rem rusticam attingit, ubi Graecum auctorem Cato perperam intellexisse videtur; de hoc cf. Muenzer, Beiträge pag. 31.

Restat, ut quaeramus, qualis haec Graecorum doctrina fuisse possit. Ac primum quidem non est praetermittendum multum valuisse ad reliquorum Italorum agricolationem Graecos incolas Italiae meridionalis, magnae Graeciae quam vocabant, atque inter hos qui Campaniam obtinebant. Praecipue vitium culturam haud mediocriter ab his adiutam esse atque auctam scimus [2]). Tum servos Campanos vel cum Syris, quos inprimis rei rusticae causa Romani sibi parare solebant [3]), certavisse patientia ex Plauti Trinummi v. 542 sqq. intelle-

---

[1]) cf. geop. eiusdem libri cap. 11, 10.

[2]) O. Weise, von welchen Staaten ist Rom in seiner Kultur beeinflusst worden? Mus. Rhen. 38 (1883) 554 sq. Etiam Demetros (Cereris) cultum inde in civitatem Romanam esse receptum constat, cf. Wissowa, Religion u. Kultus der Römer, 1902, pag. 243.

[3]) Hehn, Kulturpfl. u. Haust. pag. 421 sq. O. Weise l. s. s. pag. 564.

gitur. Catoni autem commercium cum illa provincia fuisse docemur multis Campaniae urbium nominibus, quae apud eum offendimus, velut occurrunt in libro de agri cultura Abella, Cales, Capua, Herculaneum, Nola, Pompei, Puteoli, Suessa, Venafrum; accedunt adiectiva Campanicus et Scantianus. Alia alias magnae Graeciae regiones spectant. Murgentinum vinum ad Siciliam animos nostros delegat. Ibi epityrum quoque Cato potuit cognoscere[1]). Graeca vero ad rem rusticam quae pertineant praecepta illuc quoque translata esse aperte dicit Theophrastus in libro de causis plantarum III 20, 5, ubi commemoratur aliquis *ἀνελθὼν εἰς Συρακούσας ἐκ Κορίνθου τὴν ἐργασίαν τὴν ἐντεῦθεν μεταφέρων.*

Quoniam denique vidimus nec litterarum Graecarum plane inscium Catonem fuisse, vel inde praeceptum unum vel alterum in librum de agri cultura irrepsisse mihi persuadere non dubito. Immo quod Varro ipse de origine sui operis testatus est lib. I 1, 11, Catonem quoque de suo libro arbitror dicere potuisse: ea erunt ex radicibus trinis, et quae ipse in meis fundis colendo animadverti, et quae legi, et quae a peritis audii. Atque similiter videtur iudicasse Ricardus Reitzenstein, cum scriberet in dissertatione de scriptorum rei rusticae, qui intercedunt inter Catonem et Columellam, libris deperditis, Berol. 1884, pag. 32sq. ‘ille enim (sc. Cato), quamquam saepius etiam aliorum praeceptis usus videtur, tamen si summam rerum respicimus, ea, puto, maxime prodidit, quae ipse usu compererat atque probaverat.’ Vehementissime vero miratus sum, cum legerem, quod Andreas Schottius in editione operum Cornelii Nepotis, Francof. 1609, ad Catonis vit. cap. 3, 1, haud scio utrum certis nisus argumentis an iam animo veritatem praesentiens atque divinans, nudis, ut nos dicere solemus, verbis enuntiavit: ‘exstantque eius rei rusticae libri, q u o s e G r a e c i s f o n t i b u s h a u s i t, quam tamen nationem initio cane peius et angue oderat.’

---

[1]) Varro de l. l. VII 86, Weise l. s. s. pag. 559.

Conspectus.

Agitur de Catonis vestigiis in geoponicorum corpore cap. I pag. 3 sqq.: haud raro geoponicorum capita cum Catonianis congruunt pag. 3 sqq., verum etiam Columellae nonnulla et cum Catonianis et cum geoponicorum conspirant pag. 9, 11, 13, 15, cum Columellae Palladii forma saepius consentit pag. 9, 18, et Columellae et geoponicorum forma ex eodem pendet Celso pag. 16, inter geoponica et Celsum fortasse intercessit Apuleius pag. 17, Palladius quoque ex libro aliquo hausisse videtur, qui ex Celsi opere manavit neque tamen ex Columellae pag. 18 sqq. — Constat igitur nonnulla Catonis praecepta per Celsum pervenisse in corpus geoponicorum.

Tractatur brassicae Catonis commendatio cap. II pag. 22 sqq.: magna Catonis cap. 156 et 157 pars reperitur in opere Oribasii pag. 22 sqq., cuius forma nonnumquam artius cohaeret cum ea, quam Plinius, ubi Catonis praecepta servavit, praebet pag. 27, neque tamen ex Plinio ipso Oribasii caput exscriptum esse potest pag. 28, (agitur per digressionem de Catoniani libri forma genuina pag. 29 sqq., paulatim liber conscriptus est pag. 30, continet vero commentarius qui exstat primam libri ad filium adumbrationem pag. 31, ita ut de retractatione posterioris alicuius hominis non liceat cogitare pag. 32), neque ex Plinii auctore, quae Oribasius praebet, pendere possunt pag. 33 sq., contra videtur omnino non Graecus scriptor exscripsisse Catonem, at Cato Graecum aliquod exemplum pag. 34, quod probatur et forma capitis Catoniani pag. 33 sq., et rebus, quae tractantur pag. 34 sqq., de auctore Oribasii Mnesitheo pag. 37 sqq., de sermone Graeci de brassica capitis pag. 41 sq., commentarius qui exstat non iam ubique genuinam Catonis formam prae se fert pag. 43. — Videtur iam Cato haec praecepta ex Graeco petivisse auctore.

Epimetrum: tamen ad Catonis librum hic quoque geoponicorum forma referenda esse videtur pag. 44.

Congeruntur ex libro de agri cultura alia Graecae doctrinae vestigia cap. III pag. 45 sqq.: in reliquis Catonis libris Graecam doctrinam iam dudum esse detectam pag. 46, in libro de agri cultura et formam Graeci alicuius exempli videri effictam pag. 46, et multa adesse vocabula Graeca pag. 47 sq.; de praeceptis, quae non videantur deberi Romanis pag. 48 sq., de arborum propagatione pag. 48 sq., de mira radicum apud Catonem significatione pag. 49 sq., quomodo Graecorum praecepta innotescere potuerint Catoni pag. 50 sq., quaenam igitur origines libri Catonis sint dinoscendae pag. 51.

Index locorum uberius tractatorum.

VITA.

Paulus Fridericus Reuther natus sum a. d. VII. Kal. Nov. anni 1879 Auerbachiae in oppido Saxoniae meridionalis patre Ernesto, matre Ida e gente Fischer, quae praematuram mortem occumbens pupillum me reliquit annorum fere trium. Fidem profiteor evangelicam. In patria postquam per quattuor annos in ludum litterarium itavi, novem annos degi discipulus gymnasiorum regiorum primum Lipsiensis, tum Nivemontani et hic et illic magistros nactus viros valde bonos, quorum disciplinae semper memorem me fore grato animo polliceor. Inprimis quid Fritzschio debeam ac Gilberti eximiam erga me benignitatem grata semper memoria me prosequi velle libenter hoc quoque loco affirmo.

Quorum in me meritis effectum est ut, cum vere anni 1899 maturitatis testimonium consecutus Lipsiam remigrassem, philologiae studiosis ut adscriberer rogarem. Ac docuerunt me viri humanissimi de Bahder, Barth, Brugmann, Elster, Gardthausen, Heinze, Immisch, Jungmann, Köster, Lipsius, Martini, Marx, Schiller (†), Schreiber, Schwarz, Sievers, Sommer, Studniczka, Volkelt, Wachsmuth, Witkowski, Wundt. Proseminarii philologi exercitationibus, quibus Immisch moderatur, postquam per annum interfui, ad seminarium aditum mihi esse benigne voluerunt triumviri Lipsius, Marx, Wachsmuth, quibus ducibus optimam philologiae supellectilem per ter sex menses parare licuit. Praeterea ut archaeologicis suis exercitationibus et publicis et eis, quas in seminario instituit, interessem liberaliter concessit Studniczka, ut philosophicis Barth, ut Germanicis de Bahder, Elster, Sievers, ut paedagogicis Jungmann; etiam in societatem Graecam Lipsius nuper me recepit. Quibus viris omnibus gratias habeo maximas, praecipue autem quod Fridericus Marx sua auctoritate cunctantem me et diffidentem comiter excitavit, gratum hodie mihi est ac semper erit.

3 2044 004 350 369

This book should be returned to the Library on or before the last date stamped below.

A fine is incurred by retaining it beyond the specified time.

Please return promptly.

BOOK DUE
NOV 12 1989
JUL 10
WIDENER
DEC 03 1997
BOOK DUE
WIDENER
CANCELLED